BIBLIOTHECAE LAVSANNENSIS

AMPHITHEATRVM ÆTERNÆ PROVIDENTIÆ DIVINO-MAGICVM.

CHRISTIANO-PHYSICVM,
nec non
ASTROLOGO-CATHOLICVM.

Aduerſusveteres Philoſophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos, & Stoicos.

Autore IVLIO CÆSARE VANINO, *Philoſopho, Theologo, ac Iuris vtriuſque Doctore.*

Ad Illuſtriſſimum, ac Excellentiſſ. Dominum, D. Franciſcum de Caſtro, Comitem Caſtri, Ducem Tauriſani, &c Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis ad Summum Sacerdotem, Sacerdotumque Principem Legato ampliſſimo.



LVGDVNI,
Apud Viduam ANTONII DE HARSY, ad inſigne Scuti Colonienſis.
M. DC. XV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO, DN. FRANCISCO

de Caſtro, Caſtri Comiti, Tauriſani Duci, &c. Potentiſsimi atque inuictiſsimi Catholici Regis, ad ſummum ſanctiſsimumque Patrem Chriſtianorum Pontificem Legato digniſsimo.

IVLIVS CÆSAR VANINVS à Tauriſano, ſubditus humillimus. S. D.

TAM eximia Sapientiæ ſpecies eſt & pulchritudo (Princeps Illuſtriſſime) tanta nobilitas, excellentia tanta, tanta denique iucunditas & dulcedo, vt quoduis hominum genus ad ſui amorem pelliciat ac pertrahat, adeoque vt qui vel primoribus labris cupedias ipſius & delitias deguſtarunt, tanquam loti

baccis ineſcati, à iucundiſſimo muſarum conſortio auelli nequeant. Quas admirabiles huiuſce Reginæ Dominæque mortalium dotes maiores noſtri ſecum animo depingentes, vt illius amplexibus Nectare & Ambroſia ſuauioribus perfruerētur, omnes labores ſuſcipiendos, omnes moleſtias exhauriendas, omnes difficultates calamitateſque exorbendas, omnia denique pericula pretioſa duxerunt. Pythagoras ex Samo in Ægyptum, ex Ægypto in Cretam, ex Creta in Lacedæmonem, vt ſapientes vbibique terrarum & gentium audiret diſſerentes, longiſſimis iuxta & difficillimis itineribus proficiſci non dubitauit. de Platone quid dicam? qui Athenis relictis, Italiam, Ægyptum, aliasq́; regiones ſibi putauit eſſe peragrandas: de Thebit Bencorat Arabe quid memorem? qui quadraginta annorum ſpatio in editiſſimi cuiuſdam

montis

montis velut ſpecula continuis in excubiis verſatus eſt, vt octaui orbis motum deprehenderet, nec tamē poſt tot exantlatos labores, poſt tot & tantas deuoratas moleſtias, poſt tot inſomnes noctes voti ſui cōpos fieri potuit. Omitto hic Democritum, qui ſeipſum ſponte ſua ſtultitiæ inſimulare non verecundatus eſt, vt animalium interſecare ac rimari viſcera liceret. Nihil dico de Dioſcoride, qui vt plantarum inſitam à natura vim agnoſceret, quæ non terrarum ſpacia pedes dimenſus eſt? quas non regiones oberrauit? Attamē piaculum putarem tacere Diuinum illum & ſupremū ſapiētię Dictatorem Ariſtotelem, qui quantam pecuniarum ſummam vt animalium hiſtoriam ſcitè conſcriberet, ſubminiſtrāte Alexandro impenderit manifeſtum eſt. Te verò Plini qua obliuione prætermitto? qui vt Veſuuij montis conflagrationem introſpiceres, præ-

ſentiſſimo vitæ diſcrimini exponere te minimè tergiuerſatus es, tanti tibi perire fuit dum diſceres. Quid vero Hieronymus noſter Eccleſiæ & columen firmiſſimum, & lumen clariſſimum? nũquid ille ſeſe ab omni hominum ſocietate ſubduxit? in ſolitudinem ſeceſſit? vt commodius tranquilliuſque ſtudiis inhiare, heluari libros, chartisque poſſet impalleſcere? Nonne idem vt hebræa & Chaldaica facilius & aptius proferret, dentes lima detriuit poliuitque? Hæc ego cum cogitatione repeterem altiori, cupiditate quadam & dulcedine, neſcio an deceptus, captus certe ſum imitãdi: Itaq; Iuris prudẽtię ac Theologiæ ſtudiis in Parthenopæo & Patauino Circo decurſis, reliqua fere omnia literarum exercitationũ per totũ Europæum orbẽ erecta Theatra, Amphitheatra Circoſque duxi frequentandos; Nec me ſuſcepti pænitet laboris. Nã licet corpus

pus quidẽ crebris infirmitatibus mor-biſque fuerit exhauſtũ, & eneruatum. Animus tamen in ſupremæ & vulgò philoſophantibus incognitæ Philoſophiæ arcanis inueſtigandis validior factus eſt & robuſtior, vt Phyſico-magicum noſtrum, quod mox ex vmbra in lucem prodibit pellegens æqua poſteritas facile eſt diiudicatura. Veruntamen vt aduerſæ fortunæ vulnera aut perſanarem, aut ſaltem aliquo pacto delinirem. Diuinæ prouidentiæ (cui nos & omnia noſtra pariter ſubiecta ſunt) Myſteria enucleare explanereque aggreſſus ſum, non ex obſoletis illis quidem Tullianis declamationibus, neque ex popularibus illis & anilibus fere Platonicis deliriis & inſomniis, neque etiã ex putridis ſcholaſticorũ quiſquiliis, ſed ex abditiſſimis hauſta Philoſophiæ fontibus vt curioſam ſitim facilè queant explere. Quas noſtras (Dux inuictiſſime) lucubratio-

 nes

nes tuo nomine plurimis de cauſis præfulciendas cenſui & cohoneſtandas. Primum quidem ob nominis tui ſplendorem & excellentiam ſingularem, quæ iam totum orbem quaſi lumen quod πάμφαες illuſtrauit. nihil enim dicam de antiqua generis proſapia, de maiorum imaginibus, & cęteris quæ vulgo bona fortunæ vocitantur: hæc enim & ſi ad honorem tuum pertineant, magnoque tibi ornamentó ſint, longè tamen illud me magis in admirabilitatem rapit, quod ea in ipſis adoleſcentiæ rudimentis edidiſti documenta, quæ vel tum omnes commouebant, adeo vt noſtri Sæculi te Phœnicem futurum pleríque palam pronunciarent; Admodum adoleſcés Neapolitano Regno PROREX admirabili cum laude præfuiſti, iuuenili quidem ſpecie, ſed adulta & corroborata iam prudentia Regias Vices ita geſſiſti, vt ex eo, quem è maximi viri

omni

omni laude ſublimioris Lemēſiū Comitis in eodē regno per multos annos Principatum adminiſtrantis Patris tui obitu ceù Solis occaſu perceperant ſubditi mœrorem, tanquam lucifer quidem denuo recreares. rapiebat nimirum omnes tua in tribuendo cuique ſuum iuſtitia, illa in frequentandis templis colendoque Deo pietas trahebat omnes, quam Themidis antiquiſſimum illud & veriſſimum oraculum Baſin eſſe dixit firmiſſimá, cui facile quælibet regni moles innitatur. admirabantur vniuerſi tuam in regno cuſtodiendo vigilantiam, in propugnando fortitudinem, in adminiſtrando ſapientiam, in componendo fœlicitatem, grauitaté in ſtabiliendo cæteraſque virtutes vel multitudine innumerabiles, magnitudine præſtantiſſimas, ſpecie pulcherrimas, genere ſingulares, excellentia ipſa admirandas, Atque ita aliquando inter ſe lo-

quebantur, eſt hic, eſt hic qui ad maxima genitus, ad ſumma natus eſt, Hic eſt qui ad Homericam illam perfecti Regis Ideam fictus factuſque eſt.

Αμφότερον βασιλῆ' ἀγαθὸν κρατερόν τ' αἰχμητήν.

Nonnulli etiam literatiores vetera Hiſtoriarum monumenta repetentes comparationem inſtituebant, bellandi ſciẽtia cum Iulio Cæſare, Reipub. adminiſtrandæ peritia cum Auguſto, fœlicitate conficiẽdarum rerum cum Pompeio, Clementia vero & facilitate cum Tito, pietate cum Antonino, Cæteriſque denique virtutibus cum omnibus omnium ætatum Principibus comparabant, imò etiam anteponendum exiſtimabant: Deinde vero ad Clariſſimam Venetorum Rempub. orator miſſus à Potentiſſimo Rege noſtro, non modo opinionem viciſti omnium quã de virtute tua iam multo ante conceperant, ſed etiam

gloriam

gloriam ſuperiorũ. Poſt ad Sanctiſſimũ Ouilis Dominici Paſtorẽ Legatus deſtinatus, ita te geſſiſti, & geris vt diligentiã tuam admirẽtur omnes, ingenium deoſculẽtur; Hęc ego omnia & ſingula cũ cogitarem ſæpius ita me rapuerunt,vt nõ potuerim quin nomẽ tuũ aliqua ratione pro virili parte conarer deuenerari. Veruntamen & alia me ratio mouit vel certè par reliquis, vel non inferior, cur ad tuam Excellentiam animum conuerterim meum, nimirum quia & ego ditioni tuæ ſubiectus, & eo patre natus, qui Comitatus tui gubernaculũ ſingulari fide,prudentiaque per multos annos rexit, & eius ſum frater, quem tu innumeris pro incredibili tua munificentia beneficiis cumulaſti. Grati igitur & obſequentis animi pignus tuæ Excellentiæ exhibeo, quare munus hoc, licet exhile, ſi cum nominis tui amplitudine conferatur, meã excuſabit temeri-

tatem

ritatem, nam quantum tibi debeam intelligo, adeoque à te veniam deprecari gratus malui, quàm culpa carere iners ignauus & ingratus. Præterea etiam quæ à me ſcribuntur quo à vulgo ſunt remotiora, eò propinquiora calumniæ: In clientelam autem tuam dum ſe tradunt, virulentos deprauatorum hominũ morſus non pertimeſcent. Quod ſupereſt (Legate Ampliſſime) humillimè deprecor vt eo animo accipias, quo multorũ qui ad te ante me ſcripſerunt, accepiſti, quoq; ego licet indignus præſento & offero. Deũ immortalem oro & obteſtor vt te publico bono natũ cũ nobiliſſima coniuge Domina Lucretia Gattinara Lignana, ſingularis exẽpli Heroina, ac ſuauiſſimis pignoribus veſtris Dominis meis multis nominibus colendiſſimis omni bonorum genere cumulatum quàm diutiſſimè præſtet incolumem. Vale rerum tutela mearum.

VANI

I. C. VANINVS CANDIDO LECTORI. S.

QVÆ adhæc conſcribenda animum noſtrum impulerit ratio & cauſa, Candido Lectori aperiendum duxi. Quanquam plurimæ hac deplorata tempeſtate graſſentur vbique hæreſes depopulentur & funeſtent totum terrarum orbem, paulatim tamen concidunt, & conflaueſcunt. Ἀθεότητος autẽ Secta peſtilentiſſima quotidie latius & latius vires acquirit eundo. Viget enim non ſolùm in quibuſdam orbis angulis, non ſolùm in Iaponiæ, Synarum, Indiæ, Tartariæque anguſtiis dominatur, ſed emerſit etiam è latebris illis in hanc Europæi orbis lucem, & viget, & non modo apud eos qui ſeſe à communione Catholica & Societate in interitum ruentes voluntarium ſegregarunt, ſed etiam qui ſe-

ſe

ſe Chriſtiano-Catholicos nominari volunt, re ipſa tamē & opere Machiauello-Politicos ſeſe profiteri non exhorreſcunt: qui eò etiam errorum miſeri reciderunt, vt nullam prorſus in orbe regendo prouidentiam agnoſcant diuinam, ſed humanam tantummodo, ex qua originem traxiſſe ſibi planè perſuadent opiniones de Superis atque Inferis, ad concionariam plebeculam in officio ſeruitioque continendam. Concidunt, inquam, & pessum feruntur hæreſes, quia militantis Eccleſiæ fortiſſimi Heroes ij, quos è Societate Ieſu dicimus, ad illas profligandas excindendaſque omnes animi & corporis adhibent machinationes. Bella, arma fulmen illud Chriſtianæ militiæ Bellarminus R. Cardinalis meritiſſimus minatus eſt: cuius in hæreſibus conſternandis intercidendiſque ardorem & robur cum Auguſtini zelo & doctrina, cum Hieronymi feruore & eruditione comparare non dubitarim. Valentia verò Becanus, Duncæus, Suarez, alijque cōplures eiuſdem Sanctiſſimæ Religionis commilitones quoties pro

Catho

Catholica fide quàm glorioſis aduerſus hære-ſes quàm periculoſis dimicationibus decerta-runt? quàm ipſos aduerſarios cruentarunt, quàm profligarunt? atque ego hæc, grauiſſi-miſque alijs perſuaſus argumentis, crebris hoc vſurpo ſermonibus, Cæteros quidem varia-rum religionum ordines qua vitæ integrita-te, qua diſciplinarum cognitione, qua denique virtutum omnium excellẽtia exornatos ele-gantiſsimè & grauiſſimè ſtabilitos, ipſam verò Ieſu Societatem pietatis & eruditio-nis parentem atque altricem, Romanæ Ec-cleſiæ & ſplendori fuiſſe & ornamento, ipſamque Dei immortalis munere, tanquam Romanæ Eccleſiæ Palladium, Cæterarum Religionum Columen, totius vniuerſitatis Anchoram hominibus eſſe conceſſam, quare deſinant Limbolarij quidam & Atellani hominibus de Catholica, & literaria Repub. præ cæteris omnibus optimè meritis obſtrepe-re & obgannire, ne dicam calumnias falſiſſi-mas imponere: ſed pace & voluntate veſtra (Doctiſſimi Religioſiſsimiq; viri) noſtra pa-

rum

rumper euagata ſit oratio, nunc ad propoſitum reuertamur: Ipſe verò Atheiſmus tanquam in molliſſimo terræ gremio cōſitus herbeſcentem quotidie elicit viriditatem, & magis magiſque indies profligatiſſimorum hominum corruptiſſimis deprauatiſſimiſque moribus tanquam fibris quibuſdam ſtirpium nixus adoleſcit, & rari, prô dolor, vel nulli omnino ſunt, qui ſarmentis pernicioſiſſimis ſylueſcentem & per totum fermè orbem ſeſe diffundentem falce putent coërcēdum. Multa Aquinas in opuſculo contra Gentes eruditiſſimè, vt omnes fatentur, ſcripſit, nec ego inficias iuero, quando ſummus ille olim Romanæ Eccleſiæ Antiſtes diuinæ voluntatis interpres, & doctor omnium gentium Ioannes 22. in illius Diui conſecratione plenus Deo hæc verba protulit, tot miracula fecit, quot quæſtiones determinauit, *nec vnicam tamen ille propoſuit, nedum reſoluit Atheorum rationem, neglexiſſe eas ſanctiſſimum virum ſuſpicari mihi certè religio eſt. ſcripſerunt alij perplebei in Rep. literaria*

homun-

homunculi, qui ex ſacra pagina & Gregorianis apparitionibus Dei prouidentiam, & animæ immortalitatem ſtatuentes, Atheis irridendi ſui facultatem dederunt: Aduerſariorum verò tela iam olim hebetata, quia nunc neſcio à quibus Cyclopibus ad incudem reuocata, atque exacuminata, infringenda obtūdendaq; ſunt (vt aiunt) SOLIDO. Nobis igitur, non popularis auræ rumuſculos quoſdam, & vanæ gloriolæ choragia aucupemur, ſed vt Chriſtianam religionem à ſceleratiſsimorum hominum ne dicam beluarum incurſionibus propugnemus, poſt crebras diuturnaſque cũ hæreticis decertationes habitas in 18. noſtris libris pro SS. œcomenico Concilio Tridentino conſcriptis, Atheorum modò conatus retundere, reprimere impudentiam, libidinem frænare in votis eſt: Quare primũ hunc librum de Dei Prouidentia tanquam aciem quandam compoſuimus, & aduerſus veteres Philoſophos direximus, vt qui illorum præſidio innituntur moderni Athæi, eodem impetu perfracti & labefactati concidant.

 dant.

dant. Pertimeſcebam quidem in communi Theatro Sapientum ſub oculis veritatis exponere hanc ingenioli mei ſuppellectilem nec nitidam, nec opulentam: Amicorum tamen præcibus perſuaſus, ne dicam coactus, non potui facere, quin, licet mihi maximè aduerſarium eſſet, in publicum emitterem. Laboris autem mercedem à Candido lectore hanc mihi ſaltem liceat exorare, vt aduertat, notetque omnia & ſingula verba Romanæ Eccleſiæ iudicio & cenſuræ à nobis humillimè ſubiici. inſuper ne ipſe me ſequatur in omnibus, ſed in iis tantum, in quibus me rectè ſenſiſſe, nec à vero putarit exorbitaſſe. Vale Lector Candide, & munuſculo illo fruere, dum aliud tibi maius & ſublimius paramus opus, ſitque tibi hoc alterius tanquam teſſera. Si quem verò interea fructum ex hoc opuſculo perceperis, totum ampliſſimo Mæcenati meo acceptum referre memineris. Vale iterum.

APPROBATIO.

JOan. Claudius de Ville in ſacra Theologia magiſter, & diuini verbi Prædicator, in Sancti Pauli huiuſce ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunenſi Diœceſi à Domino de Marquemont, Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo, librorũ Cenſor deſignatus. fidem facimus, Nos hoc opus, cui inſcriptio eſt *Amphytheatrũ prouidentiæ Æternæ, Diuino-magicũ, Chriſtiano-Phyſicũ, nec nõ Aſtrologo-catholicũ, aduerſus veteres Philoſophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos, & Stoicos, Autore Iulio Cæſare Vanino Philoſopho, Theologo, ac Iuris vtriuſque Doctore*, euoluiſſe, nihilque in eo à Catholica & Romana fide alienũ, ſed cùm peracutas, tùm perualidas rationes iuxta ſanam ſublimiorum in ſacra Theologia Magiſtrorum doctrinam (ô quam vtiliter) contineri. Lugduni apud Sanctum Paulum Prid. Non. Iunij, M. DCXV.

DEVILLE.

R. D. D. FRANCISCI DV SOLEIL HVIVS LIBRI Imprimendi facultas.

FRanciſcus du Soleil *Officialis ordinarius, & metropolitanus, nec non Vicarius Generalis ſubſtitutus Illuſtriſſimi & Reuerendiſsimi Domini Archiepiſcopi Lugdunenſis Galliarum Primatis, Liber qui inſcribitur.* Amphitheatrum Prouidentiæ Æternæ, Diuino-magicum, &c. Authore Iulio Cæſare Vanino Philoſopho, Theologo & Iuris vtriuſque Doctore: *vt in lucem edatur facultatem concedo. Lugduni Die* VI. *Iunij.* 1615.

DV SOLEIL.

HAs Exercitationes partim Philoſophicas, partim Theologicas. Ego IACOBVS DAVEYNE, Regis Procurator, typis mandari, tum demùm in lucem edi conſentio.

DAVEINE. P. Reg.

TYpis mandari concedimus, idque ſoli *Viduæ de Harſy*. Actum die. 23. Iunij. 1615.

SEVE. L. General.

IOANNES GONTERIVS Archiatrus Regius in Iulij Cæſaris Vanini Philoſophi ſubtiliſſimi Amphitheatrum.

Pompeium infeſtis deuicit Iulius armis:
Cæſar hic ingenio vicit Ariſtotelem.
Fortuna & vario ſtipatus milite vicit
Iulius: hic ſolo vicit ab ingenio.
Ingenium quanto præſtat furialibus armis,
Tanto hic plus laudis Cæſare Cæſar habet.

IN

IN

CLARISSIMI, DOCTISSIMIQ. Viri D. Iulij Cæſaris Vanini Amphitheatrum.

EPIGRAMMA.

Nunc mihi Tarpeiæ cedant miracula Romæ
Celſaque ſeptenis Amphitheatra iugis
Nobilius tandem ſeſe extulit Amphitheatrum
Maius Vanini ſuſpicit orbis opus
Vtpote Romuleis niſi mors funeſta theatris,
In ſolo hoc ſola eſt, certaq; vita viget,
Amphitheatrũ ergo hoc tot clarius Amphitheatris
Quô vita eſt melior nobiliorq; nece.

Obſeruantiæ ergo

IOANNES SCHEFFER Rhetor.

IN
ACVTISSIMI DOCTORIS Iulij Cæſaris Vanini Amphitheatrum.

Iulius hoc noſtro Cæſar ſi viueret æuo
Diſceret vt quondam vincere debuerat.

F. V. Poſuit amicitiæ ergo.

IN IVLII CÆSARIS VANINI Theologi Præſtantiſſimi Amphyth.

Fleuit Alexandri ſtatuam cùm cerneret olim
Iulius, & tantùm vincier erubuit,
Cæſaris hæc noſtri quod ſi ſimulacra videret
Quos poſſet fletus ducere quas lacrymas?

Venerationis & obſeruantiæ teſſeram
Vitalis Carles φιλομούσοι poſuit.

Quos olim Cæſar peperere tibi arma triumphos?
Quos, Cæſar, parient Amphitheatra tibi?
Perpetuam pariunt vitam Amphitheatra Saleuco,
Hoc tibi perpetuò fama perennis erit:
Ingenio cedunt vires, ſublimibus ima:
Horum ſic ſuperas Amphitheatra tuo.

Hæc in Autoris Viri de quacunque ſcientia optimè meriti obſeruantiam.
Scripſit Gabriel de Prades Philoſophus.

IVLII CÆSARIS VANINI

AMPHITHEATRVM PROVIDENTIÆ ÆTERNÆ, ADVERSVS VETERES Philoſophos.

EXERCITATIO PRIMA.

Probat Deum eſſe.

A Motu, ſcribit Auerrois, accipit philoſophus cognitionem hanc: Deus eſt. perabſurdè tamen, non enim primi mobilis motor Deus eſt; ſiquidem primum mouens finitum eſt eſſentiæ circumſcriptione, & finitum potentia: comprehendi namque poteſt intellectione vbi ſit, atque vbi non ſit: præterea ex eiuſdem Auerrois opinione in tertio de Anima, ipſa intelligentia, cuius vi primum rotatur Cœlum, habet aliquid ſimile materiæ, & aliquid ſimile formæ. Deus autem ſimplex eſt, vt idem teſtatur ibi. com. 5.

& 5.Metaph.com.21.hinc aſſerit & rectè ſané,in Deo nihil in potentia, ſed in actu omnia: in prima verò intelligentia eſt aliquid ſimile potentiæ: actio namque craſtinæ reuolutionis nondum in actu eſt. Inſuper cùm in Deo non ſit tempus, ſed ipſe dominus tēporis, quouis principio nobis vel cognito, vel incognito priore nullo modo eſt in eo, vel priùs, vel poſteriùs. at in prima intelligentia eſt, eius enim actio eſt cum tempore, & finita ſecundùm partes:omne autem finitum habet aliquid quod eſt in actu, & aliquid quod eſt in potētia ,ergo aliquid priùs, & aliquid poſteriùs. quare diuinus Ariſtoteles in decimo ſupremæ Philoſophiæ dixit cæleſtia corpora habere potentiam in vbi. non igitur intelligentia habet in actu motum illius vbi, qui nondum factus eſt. nam tametſi à tempore non continetur, ſimul tamen exiſtit cum ipſo:quod pertinet ad eam, quam exercet motionem. non igitur Deus eſt intelligentia illa prima, primum orbem mouens, ſed aliud quiddam ſupra, & extra omnem motum: quare etiam ſi naturali indagatione deuenero ad motorem primum, non dum intelligam per motum Deum eſſe: ſed inueſtigatione tranſnaturali hunc ad modum: omne ens aut eſt à ſe, aut ab alio.
omne

omne ens aut eſt finitium, aut infinitum. nullum ens finitum à ſe. prima intelligentia finita: igitur non à ſe. finitam eſſe per ipſam demonſtramus actionem, quæ tum vna, tum finita eſt: non quidem tempore, ſed poteſtate, atque officio: itaque & primam cognoſco, & cognoſco nõ eſſe Deum: neque enim eius motus omnium rerum effector eſt. at Deus omnium effector: quocirca ſatis patet, non per motum, ſed per primas entis partitiones, à nobis cognoſci, Deum eſſe. & neceſſaria quidem demonſtratione, nam omne ens aut eſt æternum, aut tẽporarium, ſi in tempore, ergo habuit initium; non potuit igitur ſe ipſum producere, fuiſſet enim antequam eſſet. cumque entium exordium perſpiciamus, oportet concedere ens æternum, à quo ducant originem, aliàs non eſſet æternum ens, ſed aliquando inchoatum. & ſic nihil eſſet, atqui nihil eſſe eſt impoſſibile, ergo & ens æternum non eſſe pariter impoſſibile eſt. ens igitur æternum eſſe neceſſarium eſt. ſed ſyllogiſmus ratiocinationem noſtram faciet dilucidiorem: omnis exiſtentia entis initiati neceſſariò ex probatis ſupponit ens æternum. ſed ens principiatum eſt, ergo & de neceſſitate ens æternum. hoc autem communi vocabulo Deum dicimus.

Deum igitur eſſe neceſſarium eſt.

Entium verò partitionem à me fortaſſis lector exigit ſubtiliorem:accipiat,non ſcholaſticam,ſed diuino-magicam,ſeu caballiſticam:neque ex Pythagoreis deſumptam numeris, illuſtrius namque meditamur opus: illi cùm ſeptenarium numerum miris extollerent laudibus:non animaduerterunt, præter alias nobilitates, illud quoque à natura obtinuiſſe,vt limes eſſet,ac terminus numerorum inferiorum. Sicuti nouenarius omniũ ſummus,ac perfectiſſimus, cæteros omnes arcet,ac continet. neque ab vllo, niſi ab vnitate augeri poteſt,vt denarius fiat,qui eſt omnium vltimus. Vnitatis igitur omnipotentiam quandam celebramus, tum quia eſt principium omnium numerorum:tum quia eſt finis.claudit namque nouenarium,in quo ſunt omnes ſpecies,ac proportiones quantitatis,tam primariæ,quàm conſequentes, ſeu reſultantes.longitudo,latitudo,profunditas, perfectũ, imperfectum,diuiſibile, indiuiſibile,trigonum,cubum,oblõgum,varilaterum, æqualitas,inæqualitas,abſolutum, comparatum,ſimplex,multiplex,ſimile,diuerſum. In ſpecie verò duplicitas,ſeſquilaterum, triplicitas,ſeſquitertium,quadruplicitas,ſuperpatiens. Eſt autem vnitas principium, & formale,

male,& materiale,& efficiens,& finis. Materiam eſſe nemo dubitat: efficiens eſt, quippe principium creans numerum: finis quoque eſt, quia conueniunt omnes vnitates, vt vnus ſit numerus,& omnis numerus ſicut inchoatur, ita & terminatur ab vnitate. Forma eſt, quia ipſa addita variat ſpeciem, & affectum ſpeciei, par, impar. Nouenarius igitur cum ab alio numero non claudatur, & alios ipſe complectatur, mundi machinæ ſimilis eſt, quæ omnes in ſe partes continet: ipſa ab vnitate finitur: qui Deus eſt: idem illius æque principium, ac finis. Diuidamus ergo nouenarium in partes duas. quod non ſolùm ante Iulium Cæſarem factum non eſt, ſed ne fieri quidem poſſe ratio clamat imparitatis. At enimuerò mundus cùm duas in partes diuidatur, inferas, & ſupernas: in ipſo quoque numero nouenario, quem mundi imaginem eſſe dicebamus, aliqua diuiſionis ratio excogitanda eſt. poteſt igitur ſic. Ablegata ab hac partitione ipſa vnitate, quæ refert illud vnũ verè τὸ πᾶν. verum principium à nullo comprehenſum, vel incluſum. Nouenarius, qui citra eam eſt, per ſuas multiplicationes cumulatus, in duo ſectilis eſt. ita vt in bina vicena ſeptena diuiſus, prioris æqualitatis finem habeat ſeptenarium: poſterioris dena-

rium, cuius vltima vnitas nona eſt à prima vnitate binarij. qui primus numerus eſt in prima illa parte diuiſionis.in harum vtraque parte totum ipſum, id eſt, nouenarius inueniet ſeſe toties,quoties eius mater vnitas ingreditur in eius radicem,vt eam cōpleat. eſt enim nouenarij radix trinitas: quam nouies deſignant vicena ſeptena: ſicut ternouena deſignantur: Prima ergo portio eſt, per coactionem binarij cum cæteris ſequentibus ad ſeptenarium vſque: vt vicena ſeptena conficiantur.Secunda portio eſt per octonarium cum duobus ſequentibus. His ordine conſtitutis, entium claſſes diſponamus. Atqui prima pars entium incorruptibilium tripliciter diſtributorum. ſcilicet intelligentiarum ſupercælestium,cæleſtiū,ſubcæleſtium, qui ſunt Dæmones. ita Hierarchiæ nouem recenſitæ choris. orbes nouem cogniti. Dæmonum ordines nouem,vt ex Chaldæorum arcanis accepiſſe ſe profitetur Scaliger:vicena ſeptena ſuperiora complent.ſecunda pars corruptibilium eandem init diuiſionis rationem.Primus ordo eſt animantium,ſecundus inanimatorū, tertius eſt principiorum, quæ pauciora, quàm nouem eſſe nequeunt. quemadmodum & animata nouenis ſectionibus dignoſcātur,& inanimata,in phyſico-

magico

magico à nobis declaratum eſt. Nunc ipſa principia ordinemus.primum eſt Quies.hęc enim eſt perfectio vltima. Quietem intelligo finem cuiuſque mutationis. ſecundum eſt Motus. eſt nimirum perfectio ad perfectionem,id eſt ad quietem. hic motum accipio genus omne mutationis. tertium eſt Harmonia: ea continens quæ conuenere: quartum eſt accidens conſequens ipſam perfectionem. eſt ſanè quiddam aliud ab aliis,quo res eſt aliquid, quod non eſſet ſine ipſo. quintum eſt priuatio. quam ſtulti quidam, ac væcordes Ariſtotelis obtrectatores ex principiorum numero exemerunt, quæ adeò principium eſt ſuo modo, vt etiam fuerit ante mundi conſtitutionem. ſextum eſt finis:propter quem finis ille,quem primo ponebamus loco, videlicet Quies, fit ille, namque finis eſt motus ad rem, hic eſt finis rei. ſeptimum eſt efficiens. octauum eſt forma,quæ impoſita eſt cauſa quietis. vltimum eſt materia prima.Nunc concludamus hunc in modum.Nouenarius numerus alios complectitur. ab vnitate tamen finitur: mundi igitur machinam repræſentat,quæ omnes in ſe continet partes. ipſa non niſi ab vnitate continetur:qui eſt Deus,ſummum,& vnum ens, illius principium,& finis.

EXERCITATIO II.

Deus quid ſit.

VAriis, iiſque cæcis tanquam Antabatarum more veteres philoſophi decertarunt opinionibus. Thales voluit Deum eſſe aquam. Anaximenes, aëra. Crotoniates, Solem, Lunam, & Sydera. Parmenides, informem cœli coronam. Empedocles quatuor naturas. Democritus, imagines. Socrates, Plato, & Zenophon, cœlum, ac ſolem. Xenocratés hęc, & quinque ſtellas erraticas, nec non vnum quid compoſitum ex omnibus fixis. Heraclitus cœlum, & terram. Horum philoſophorum iudicium non inſectabor, non enim dignum eſt opera noſtra. ſequar potiùs ſaluberrimum conſilium diuini Præceptoris, qui in tertio de partibus text. 4. & in primo Topicorum tex. 9. ita ſcripſit: ſapientis officium non eſſe, ſtultas pertinacias inſectari. vnica hæ autem omnes opiniones corruunt ratione. finita namque illa cuncta cum ſint, neceſſariò ab alio dependent, non igitur Deus ſunt: quippe Deus eſt entium omnium primus.

Quæris à me, quid Deus ſit? ſi ſcirem, Deus eſſem, nam Deum nemo nouit, nec

quid

quid ſit quiſquam ſcit, niſi ipſemet Deus: poſſumus tamen quaſi per nubem ſolis lumen, quid ipſe ſit, per eius opera aliquantum cognoſcere: non tamen per ea melius intelligimus, quàm per ea, que negamus nos intelligere: dicimus, ſummun bonum, primum ens, totum, iuſtus, pius, fœlix, beatus, quietus, ſecurus, creator, conſeruator, moderator, omniſciens, omnipotens, pater, rex, dominus, retributor, ordinator, principium, finis, medium, æternus, ſempiternus, conditor, viuificator, largitor, perſpector, opifex, prouidentia, beneficus, ſolus omnia omnibus. nullis tamen tam plenè vocibus indicatum intelligemus, quàm iis, inquam, quæ ignotationem prætendunt noſtram. nimirum, vbi eum dicimus immenſum, incomprehenſibilem, quid aliud, quàm & eſſe cognoſcimus, & ſupereſſe? Cæterùm, quoniam id ſtudemus vnum, vt iucundas, ac fructuoſas ſimul, horas noſtras faciamus, monendum lectorem exiſtimaui, haud rectè extorſiſſe vſum, vt Deus dicatur omnipotens, miſericors, pius, iuſtus, vindex, ſanctus, fortis, &c. ſi enim denominatiuè de eo quicquam prædicaretur, abſtractum eſſet, tum alius ab ipſo, tum ipſo prius. quod ſanè impium eſt. quare neque ens eſt, ſed eſſentia, neque bonus, ſed

bonitas, neque ſapiens, ſed ſapientia, neque omnipotens, ſed omnipotentia. quæ ita in ipſo ſunt, vt ſint ipſum, ita inſunt, vt nihil antecedat, nihil ſubſequatur. quare ſic eum (licet temerè fortaſſis) deſcribere audet dextera noſtra. ſui ipſius & principium, & finis, vtriuſque carens, neutrius egens, vtriuſque parens, atque author. ſemper eſt ſine tempore, cui præteritum non abit, nec ſubit futurum. regnat vbique ſine loco, immobilis abſque ſtatu, pernix ſine motu. extra omnia omnis, intra omnia, ſed non includitur in ipſis. extra omnia, ſed nec ab ipſis excluditur. intimus hæc regit, extimus creauit: bonus ſine qualitate: ſine quantitate magnus. totus ſine partibus, immutabilis cùm cætera mutat: cuius velle potentia, cui opus voluntas. ſimplex eſt, in quo nihil in potentia, ſed in actu omnia, imò ipſe purus, primus, medius, & vltimus actus. denique eſt omnia, ſuper omnia, extra omnia, intra omnia, præter omnia, ante omnia, & poſt omnia omnis.

EXERCITATIO III.

Dei Prouidentia quid ſit.

DIuus Thomas ſic deſcribit: Rationem ordinis rerum in finem. perabſurdè tamen Aureoli iudicio. ratio enim ordinis in finem eſt id, quod in rebus prouidet Deus. prouidentia verò non eſt id, quod prouidetur, ſed actus prouidentis, vt innuit Boethiana definitio. Prouidentia eſt ipſa diuina ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.

Ludouicus Viues ita delineat. Voluntatem conſilio vniuerſa gubernantem. at inſcitiſſimè meo iudicio, nam & ante mundi creationem erat prouidentia ſine gubernatione. Præterea conſilio non eget Deus tanquam medio, aut inſtrumento, aut Idæa ad gubernandum: tam impia eſt vox in diuinis conſilium, quàm pluralitas Deitatis: non diſceptat, non ratiocinatur, non proponit, non colligit, non cum alio confert, non ab vllo accipit. quare ingenuè fateor, ne verbum quidem illud, præuidere, Dei conuenire omnipotētiæ, niſi quoad noſtra mutila intellectione metimur infinitatē, nobis quidem, quibus eſt futurum, præuiſio

Scaliger Exercit. 365. sect. 8.

illa

illa eſt. Deus, cui nihil futurum eſt, non præuidet, ſed videt ſimpliciſſimè quod eſt præſens. at omnia præſentia.

Prouidentiam ſanè definire non poſſumus: declaremus ſic potè. Vis Dei præſens ſibi ſemper, & cætera omnia antecedens. quare ſimplex eſt, & vna, atque iccircò immutabilis, quia ſi antecedit ſemper alia, non mutatur ab illis, ſed mutat: ſi eſt ſibi ipſi præſens, & ſimplex, non mutatur intus à ſe ipſo. hinc etiã intelligimus & ſubtiliſſimè: Deum in id, quod non eſt, ſuæ prouidentiæ anticipatione agere poſſe, vt in ipſa creatione, cui terminus à quo nullus cum ſit, ſubiectum ſubeſt nullum. egit ergo Dei prouidentia in non ens, quando fecit, vt ſit ens.

EXERCITATIO IIII.

Probat Dei prouidentiam à creatione mundi.

MVndus proculdubio non eſt à ſe ipſo productus, quod enim eſt à ſe, ſemper exiſtit, & nunquam incepit, nam quod cæpit, aliquando non fuit. productus igitur à ſe non eſt: quippe productum antecedi debet à producente multominùs eſt ab alio mundo procreatus, nam quærerem, an hic alter eſſet ab altero, & alius ab alio, quare daretur proceſſus

ceſſus in infinitum. neceſſe eſt igitur, vt cuncta producta ſint ab aliqua cauſa, non corporea, huiuſce namque actio præſupponit ſubiectum, in quo recipiatur. ante orbem verò ſubiectum ſupponitur nullum, cum ipſum ſit omnium primum. à cauſa igitur incorporea, & per conſequens peripateticū intelligente (nam ex Ariſt. omnis ſubſtantia incorporea neceſſario eſt intelligens) hanc autem incorpoream, intelligentémque ſubſtantiam orbis effectricem, Deum communi nomine nuncupamus. tunc ſic infero. mundus productus eſt à Deo ſubſtantia intelligente. Dei igitur prouidentię ſubiicitur. conſecutio probatur, quia intellectio prouidentiæ opus eſt.

Huic argumento reſpondent aduerſarij adeò variè, ambiguè, & per plexè, vt vertiginis ſpiritu agitati, vel labyrinthis & mæādris neſcio quibus ſeducti à mēte eſſe videantur.

Primò docent, falsò à nobis aſſeri, mundum à Deo creatum, cùm potius genitus ſit iuxta Platonis ſententiam in Timæo. at quomodo (inquit Iulius Cæſar) genitus ab infinito finitus eſt? aut quomodo compoſitus, materialis, ſubditus accidentibus per partes corruptibilis, & magna ex parte in potentia, & ſibi *ipſi* æquiuocus ab actu puriſſimo, ſimpliciſſi

plicisſimo? poteſt ne hæc ſoboles illius dici patris? hæc Platonis inſcitia tãquam ex propheticis libris de Filio Dei vaticinantibus malè ab ipſo cointellectis deducta, veniam tunc vmbrarum temporis meruiſſet, niſi generationem à diuerſis ſubſtantiis, inter quas nulla eſſet proportio contra totius philoſophiæ conſenſionem fingere auſus eſſet. deinde peſſimam, & inexcuſabilem ſecutus eſt eorũ opinionem, qui Chaos rerum principium arbitrabantur, quare in Timæo docuit mundum per ſeparationem genitũ, modo, quo explicat Ouid. l. 1. Metamorph.

Hanc Deus, & melior litem natura diremit,
Nam cælo terras, & terris abſcidit vndas,
Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab æthere cælum,
Quæ poſtquam euoluit, cæcoque exemit aceruo,
Diſſociata locis concordi pace ligauit.

Rationi quidem è diametro pugnans ſententia, nam vt infinita alia prætermittam, quæro à Platonicis, mare ab initio fuerit ne dulce, an ſalſum. non dulce, quia vt ſic temporis ſucceſſu factum eſſet ſalſum, cumque ſalſugo temporis acceſſu incrementum aſſumat, conſequens fieret in dies magis euadere ſalſum. quod falſiſſimum eſt. neque enim nunc ſalſius quàm olim fuit. nec ab

initio fuit ſalſum, quia hoc mixtione duntaxat fit. per hos autem philoſophos nullum fuit mare, terra, & aqua permixtum. non igitur factum fuit mare per ſeparationem. itaque neque mundus.

Secundò reſpondent ex Ariſtotelis placito, mundum eſſe æternum. at contra, nam vel habet effectorem, vel non. ſi concedatur primum, ergo mundus non eſt æternus, nullum enim quod factum eſt cum effectore ſuo coæuum eſt. quare hac ratione non eſſet factum, nunquam igitur factum, ſi aliquando factum non eſt. ſi detur ſecundum, ſequitur mundum ſemper à ſe ipſo fuiſſe. ridiculum autem eſt, finitum quippiam eſſe omnium entium primum. ſanè finiri eſt aliquid pati: patiens autem quiddam poſterius eſt alio quopiam. nullum igitur finitum primum. at mundus eſt quid finitum, vt patet; non igitur ab æterno fuit à ſe ipſo. Algazel conſimili modo argumentatus eſt aduerſus Auerroem: ſi mundus eſt finitus, non habet poteſtatem niſi finitam. ergo & corruptibilis. quare habuit initium. cui argumento vt ſatisfaceret Auerrois, maximis ſe intricare difficultatibus coactus eſt. reſpondet enim ſic.

Quan

Quanquam corpus eſt finitum, tamen in eo poteſt eſſe priuatio infinita. quia priuatio non pendet à poteſtate; ſed actio. ſic habet infinitam quietem terra, quia caret forma, quæ eam inde amoueat. cùm igitur abſentia in ea formæ ſit infinita: priuatio motus in ea erit infinita. hæc autem eſt quies. ſic etiam cœlum eſt æuo infinitum, propterea quod in eo eſt priuatio infinita. ſed abſurdiſſima mihi ſemper viſa eſt Auerrois reſponſio: hac enim ratione, cœlum eſſet infinitum per priuationem, & cum infinitas ſit affectus eſſentiam ſequens, cœli eſſentia eſſet priuatio, non autem forma, quod eſt perridiculum. nam tametſi in generatione priuatio antecedit formam quæ introducitur, priuatio tamen, quæ eſt in re generata, poſterior eſt natura quàm forma ipſa, per quā res eſt. Iulius Cæſar namque non eſt leo, quia eſt homo. in mea igitur materia anteuertit humanitas leonitatem. quam ob cauſam apud philoſophum affirmatio prior eſt negatione. Cœlum ergo ſi habet infinitam priuationem corruptionis, neceſſe eſt, vt habeat infinitum habitum, quo ſit ſemper hoc, quod eſt: cui propterea nulla corruptio euenire poſſit. Hæc igitur ſumma eſt. corruptore caret cœlum, quoniam conſeruatorem habet. Ad

quem

quem modum in eo eſt etiam perpetua priuatio quietis, quia perpetuus ineſt habitus mouendi, ſicuti declaratur in duodecimo primæ philoſophiæ. Remanet igitur Algazelis argumentum, quod à Philopono accepit, integrum, ac validum, ſic. Cœlum eſt finitum, ergo nõ à ſe. igitur habet principium. Addam Ariſtotelem ipſum in ſecundo de Generat. in primo de Cœlo, & alibi agnoſcere Deum mundi cauſam efficientem. ergo & per Ariſtotelis principia, mundus æternus non eſt. omne namque quod fit, ſua efficiente cauſa poſterius eſt. ſed ſubtilius rem expendamus nos, qui primis Philoſophiæ ſacris initiati, in Auerrois verba iurare coacti ſumus à Ioanne Bacconio Anglo Carmelitano, Auerroiſtarum Principe meritiſſimo, olim præceptore noſtro. Auerrois igitur in primo de Cœlo Ariſtotelis mentem ſic explicat. Non dicit, inquit, non eſſe generabile ſimpliciter: ſed hoc modo, quem vulgò dicimus: quippe & è contrario, & ſubiecto præexiſtente. Nam qui putant Cœlum eſſe primam cauſam, dicunt eſſe non generabile ſimpliciter. At non ſic ij, qui dicunt ipſum eſſe creatũ à prima cauſa. Ad hunc modum ille. Igitur vult apud Ariſtotelem eſſe creatum à prima cauſa: quem ait, non negare in

eo generationem:ſed noſtratem hanc generationem,quæ fit & in ſubiecto, & è contrario. Quid aliud diceret Chriſtianus? etenim hac ratione è nihilo factum eſſe intellexit. nam quod eſt generatum,neque generatum eſt à contrario, neque in ſubiecto: neceſſe eſt,è nihilo generatum eſſe. hoc autem non niſi ab infinito fieri poteſt. ergo à Deo. ſolus enim infinitus eſt.ergo Deus effector mundi etiam apud Ariſtotelem.

Quod verò ingerunt argumentum quaſi inuictum,futurum fuiſſe, vt mutatione afficeretur Deus, ſi poſtquam non feciſſet, faceret mundum, nullius eſt roboris, nam ex Ariſtotele in primo de Anima, Si faber cum ædificat,non alteratur, qui tamen habet potentiam primam, & ſecundam cum actu cõiunctam,quãtominus Deus, qui actus eſt? eius enim velle actio eſt. explico. mutatio ſequitur ex nouitate, ſed nihil eſt noui Deo in creatione mundi, nec mutationis igitur. minor probatur, quia Deus eſt omnia, & omnia ei ſunt in actu, quæ nobis videntur in potentia, & quæ nobis fuerunt noua, illi ſemper fuerunt: quare mundus ei non fuit in potentia antequam fieret, quia exiſtentia mundi,quæ nunc eſt,ſemper apud Deum in actu fuit.

Dices, nihil igitur noui creauit Deus, cum orbem produxit in tempore.

Reſpondent noſtrates Theologi, rem habere eſſentiam, & exiſtentiam. igitur in creatione rebus, quæ habebant eſſentiam in mente diuina, addita eſt exiſtentia. at falſiſſimum eſt, quia Deus nihil creaſſet niſi accidens, nempè ipſam exiſtentiam, quæ eſſentiæ accidens eſt. nihil ſanè addit eſſentiæ, quod eam faciat non eſſentiam, aut plus quàm eſſentiam, hoc autem aduerſatur definitioni creationis, eſt enim conſtitutio ſubſtantiæ ex nihilo: quod ſi exiſtentia eſt diuerſa ſubſtãtia ab eſſentia, iam eſſent duæ ſubſtantiæ. ſi accidens, Deus accidens creaſſet, ſi eſt eadem, nihil creaſſet. Auerrois ſectatores ex Ariſtotele vnam putant. Dicendum igitur nobis eſt, non eſſe à Deo additam exiſtentiam eſſentiæ, quæ erat in mente ſua, ad hunc enim modum non creaſſet ex nihilo, ſed ex ſe, tanquam è materia, quod eſt impium. ſed prompſit formas nouas, illis ſimiles, non vniuocas ſimpliciter, ſed analogas, quæ non erant niſi in eius voluntate, quas fecit vt exiſterent nouo modo contingenti: quare mutationem ponimus tantum in ſubſiſtenti.

Tertiò reſpondent ex craſſa Democriti, & Epicuri imaginatione, res omnes productas eſſe non ab aliqua mente, ſed à fortuita atomorum, ſeu minimorum corpuſculorum concurſione: ſed contra: in caſum namque omnia ſi referas, ordinem tollis. at ordinem in cœleſtibus & mirum, & conſtantem eſſe manifeſtiſſimo conſtat experimento, quandoquidem ſolares eclypſes multò ante ab Aſtronomis prædicuntur.

Quartam reſponſionem deſumunt ex Alexandro, & Eudemo, Deum gubernare mundum, non tamen effeciſſe mundum. At ſi non fecit, ergo ab alio factum accepit vel mutuo, vel comodato, vel vi, vel emptione, vel depoſito, vel locato, vel legitima ſucceſſione, vel in vacuam venit poſſeſſionem, vel iuſſu tanquam miniſter, aut ſeruus à Iudice, vel ab hero. quæ omnia cum nugæ ſint, non eſt aſſerendum mundum per ſe exiſtere, aut extitiſſe olim, priuſquam à Deo regeretur.

Vltimo reſpondent, Deum hæc omnia creaſſe, ſummaque prouidentia diſpoſuiſſe. Cæterùm producta hac vniuerſitate rerum, atque perfecta, terreſtrium curam à ſe remouiſſe, & ablegaſſe. Hem? quid audio? laborem fortè, ac defatigationis moleſtias euitás Deus, aut aliis occupatus negotiis, partem

rerum

terum reliquit, quia totũ obire non poterat? an regimine res indigent duntaxat vt fiant, non vt effectæ conſeruentur? ridiculum mehercle dictum. miſſum igitur faciamus.


EXERCITATIO V.

Probat Numinis prouidentiam ex motu Cælorum.

CÆleſtium corporum motus cùm à naturali ipſorum inclinatione non ſit, ex diuina erit ordinatione. atqui illorum motiones ad horum inferiorum regimen ordinantur. inferiora igitur diuinæ ordinationi, ac prouidentiæ ſubiiciuntur: nam propter quod vnum quodque tale, & illud magis, vt dicitur in auth. multo magis, C. de ſacroſanct. eccleſ.

Hieronymus Cardanus vir in literis tantus, & virtutis adeò ſpectatæ, vt perpauca ei defuerint ad perfectam ſcientiarũ omnium eruditionem, in libr. 17. de ſubtilit. cap. de Artibus fol. 708. exiſtimat falſam eſſe maiorẽ propoſitionẽ. quia ſequeretur eſſe in natura corpus aliquod immobile naturaliter. At petita venia à ſubtiliſſimo viro, Cœlos naturali motu non moueri demonſtro. quod mouetur, mouetur vt quieſcat, non poteſt autem quieſcere niſi in ſuo loco: non igitur

mouebitur à ſuo loco, ſi propter eius adeptionem motum iam eſt: ſi igitur Cœli pars mouetur puro motu naturali, in ſuo loco nõ eſt. & ſi eſt in ſuo loco, non mouebitur. at mouetur, ergo non eſt in ſuo loco. at in ſuo loco omnes ſunt Cœli partes, quare nõ mouerentur, vt proprium locum occuparent. neceſſe eſt igitur alio moueri motu, quàm puro motu naturali.



Ponatur cœli pars in A. in quo ſi non quieſcit, non is eſt eius locus. ergo ſit B. at in eo non quieſcit. neque enim in C. ſed it ad D. in quo neceſſario quieſcet. non enim ibit ad A. vnde diſceſſit. appeteret enim A. at non appetit, vnde diſceſſit. Præterea ſi omnes partes ſunt in loco. ſunt autem, quia totum

tum eſt in ſuo loco: nulla pars alius partis appeteret occupare locum:neque illæ diſcederent:quia ſunt in ſuo loco.

Obiectioni ſi Cœlum nō mouetur motu naturali, eſt igitur in natura corpus aliquod immobile naturaliter. Reſpōdeo, aduerbium naturaliter poſſe duobus modis intelligi: aut à natura non cognoſcente, vt à ſua forma ignis: aut à natura nulla. hoc poſterius falſū eſt. explico: Quæ corpora eſſent ad generationem comparata, iis motum dedit ad conueniendum ob compoſitionem, ac generationem, atque iccircò etiam conſeruationis aſſignauit loca, è quibus euocarentur, & in quæ ſoluta reuerterent. ea fuerunt elementa. Corpus verò quod non pro materia ſtatuendum fuit, ſed actionibus deſtinandum, id non indiguit eo motu, qui ipſum duceret ad conuentum vllum, ſed eo motu, quo tantum ageret. Itaque illi corpori toti quies, non motus attributa eſt. & cum quies ſit perfectio vltima corporis naturalis, motus autem perfectio media, mouetur enim vt quieſcat, & Cœlum non egeat perfectione, qua promoueat vt ſit hoc quod non eſt; non eſt ei data forma naturalis ad mouendum vt perficiatur, ſed forma volunta-

riæ intellectionis admouendum vt perficiat.

Negat inſuper Cardanus minorem propoſitionem in lib. 2. de rerum variet. cap. 1. adeoq́ue Cœlos duxit moueri propter ſe, non propter noſtratia: prætendit rationem hanc. finis nobilior eſt his, quę ad illum ſunt. at hæc inferiora Cœlo non ſunt nobiliora, immò ſunt veluti illius fex. Cœli igitur motus pro fine non habet ſublunarium rerum conſeruationem, ſed propriam. Contrarium ego exiſtimo verum, nam ſi propter ſe Cœli mouerentur, tenderent ad proprium terminum, in quo conquieſcerent, vt videmus in ſublunaribus, non autem ad motum, qui eſt quid imperfectum, vtpotè via ad terminum. Præterea nihil acquirunt noui propter ſe: etenim tantundem à centro diſtant mundi primi mobilis partes omnes. Amplius quæro à Cardano, cui rei facta eſt habitatio, & cibi, & alia? animalibus ſanè. quis horũ omnium author? Deus. quis ſecundum Deum, & cum Deo? Cœli. quis Cœlos fecit? Deus. quod animal nobiliſſimum? homo. propter hominem ergo Cœlorum actiones. igitur & propter hominem Cœli ipſi. his rationibus accedat communis omnium Præceptoris autoritas. is in lib. de Cœl. expreſſis verbis edocet, Cœlorum motus ad hęc inferiora dirigi,

& ordi

& ordinari. in 8. Phyſ. text. 12. hac de cauſa hominem Microcoſmon appellat. in 2. Phyſ. text. 24. *ſumus*, inquit, *nos quodam modo finis omnium*. & in primo ſupremæ philoſophiæ. ancillari, ait, homini quaſi ſeruam naturam. ſed ad hominem. docuiſti Cardane in tuis Aſtronomicis commentariis, à Cœlorum motibus actiones noſtras dependere. qui igitur fieri poteſt, vt illi nõ ſint propter nos? equidem ſi ad me illi non diriguntur, nec ipſum Martem in octaua domo (quod abſit) in mei ortu exiſtentem pertimeſcam. Prætерea in l. de ſubtilit. 12. cap. de Hominis neceſſitate ita ſcribis. *Homo factus eſt, vt medius exiſtens, diuinis mortalia Connecteret.* nõ potuit homo eſſe medius niſi inter extrema. igitur extrema facta ſunt vt eſſet medius: propter medium igitur nempe hominem facta ſunt extrema, terra nimirum, & Cœlum.

Ad Cardani rationem, Cœlum nobilius eſt quàm noſtratia, propter hæc igitur id non eſt. nego antecedens. probat Cardanus, quia Cœli materia eſt incorruptibilis: noſtra verò corruptionem meditatur, data namque eſt ob tranſmutationem.

Fateor cum Ariſtot. in lib. 9. metaph. text. 17. & lib. 12. text. 10. Cœlum habere materiam, habet namque potẽtiam, quantitatem

inſuper, & figuram. vbi quantitas eſt & figura, neceſſe eſt materiam ſubiectam eſſe: nego tamen Cœli materiam noſtrati nobiliorem eſſe, nam vt exactiſſimè tradidimus in noſtris philoſophicis commentariis, Cœli materia diuerſa non eſt à materia hominis, vel ſcarabæi. neque enim intelligo (profecto paulò tardiore, atque imbecilliore ingenio ſum) quomodo materia vna ab alia diuerſa ſit, niſi per aduenientem formam, qua fit hoc aliquid. non enim τὸ εἶναι, ſed τῷ εἶναι. variatur eius eſſentia. quod ſi Cœli materia immutabilis eſt: noſtri quoque materia ſua eſſentia perpetua eſt, atque immutabilis, nunquam enim corrumpitur ipſa, ſed id, quod ex ipſa fit. illud verò cenſeo reiiciendum: Materiam meditari corruptionem. nihil enim prohibet in materiæ parte vna eſſe formam cùm qualitatibus, quæ habent contrarium: & in alia parte formam ſine vlla illarum qualitatum: non enim data fuit à Natura materia ob tranſmutationem ad generationem primò, & per ſe, vt vbicumque ſit, ibi etiam ſit generatio: ſed ad ſubſiſtendum formæ corporeitatis in ſubſtantia, & recipiendum quantitatem, ac figuram: quãtitatem propter loci mutationem: figurã,ححproptereà quod omne corpus finitũ

eſſe

eſſe & decuit,& debuit: nihil enim aliud eſt figura,quàm terminorũ diſpoſitio. Corporis quidẽ ſuperficies,ſuperficiei linea,lineę punctum terminus eſt.figura verò illorum conſtitutio:ne quis de pũcto argutetur. nõ enim figuram conſtituit, ſicut linea in ſuperficie. nõ eſt igitur ſubtilis illa definitio, quæ communiter traditur: figura eſt, quæ terminis clauditur. nõ enim eſt in linea à punctis terminata. Hiſce de cauſis primaria Dei cõſilio materia creata eſt: ſecundaria verò, ac minus nobili vtilitate propter generationem.

Sed ſcholaſticorum caterua, perplebeia quidem apud me, licet ſenatoria apud alios, ſic inſurgit. Materia appetit formam,ergo & corruptionem.conſecutio probatur,quia nõ poteſt deſiderari finis, niſi ad hũc media neceſſaria exoptentur.mediũ verò perneceſſariũ ad nouæ formæ cõſecutionem primæuæ corruptio eſt. O acutos homines: ſcholares meos doceo & ſubtiliſſimè, Materiam non appetere formas, nam appetitus dicit priuationem: materia autem omnes formas habet, hæ namque materiæ indiuiduatæ partes ſunt materiæ primæ, quæ vna eſt. Præterea ſi tota materia ſub omnibus formis eſt, non poteſt tota formas quærere: non igitur tota meditatur mutationem, ſed pars tantum

tantum hæc, aut illa. non eſt igitur toti eſſentialis meditatio, ergo neque parti, tota enim materia prima, quatenus materia prima eſt, nihil aliud eſt, quàm ſuæ partes. non igitur appetent partes mutationem. Ad hæc, materia ſemper aliqua forma informata eſt, quo igitur nouo conſilio formam quæret? num formam abiiciet, vt formam quærat? haud tam veſana natura eſt. ex homine oriũtur vermes, at quis mentis compos dicere audebit, materiam primam appetere formã hominis exuere, vt fætidiſſimi cadaueris delicias nanciſceretur, è quibus indueret vermis & faciem, & formam? Quemadmodum illud quoque à veritate alienum eſt, materiam lapidis appetere aliam formam nobiliorem: ad hunc enim modum omnes materiæ excitarentur ad appetitionem formæ humanæ, vel cœleſtis. id quod quam ſit ridiculum, ne dum abſurdum, non eſt difficile demonſtrare. is enim appetitus eſſet fruſtrà. natura nihil fruſtrà ex Ariſtotele. Inſuper, ſi materia appetit formam meliorem, appeteret vnam tãtum formam. at eam habet iam. eſt enim aliqua materiæ pars ſub ea. at pars parti homogeneæ quomodo aduerſatur? eſt enim materia prima vnum indiuiduum, ſicuti v.g. ceræ maſſa, cuius pars alia candelæ

formam

formam gerit,pars ſimulachri. alia pilæ, alia teſſeræ. At pars à parte non differt eſſentia, ergo neque affectibus, qui eſſentiam ſequuntur. igitur neque appetentia. quare vna pars non appetet alterius partis corruptionem :appeteret autem, ſi eius appeteret formam. Ad hæc appeteret omnium formarum ignobiliorum interitum: idque per ſe. non enim per ſe poteſt appetere habitum meliorem, niſi per ſe appetat priuationem deterioris.hæc enim eſt per ſe.homo non eſt aſinus. Poſtremò videmus non eſſe verum euidentiſſimis Naturæ exemplis. ex aſino vtiliſſimo nobis animali oriuntur crabrones:brutiſsima ſanè res, & ab humani generis commoditatibus auerſiſsima. ex homine vermes.appetebat mirifico appetitu materia prima ſcilicet exuere hominis formam nobiliſsimam, vt fætulenti cadaueris formam indueret. vtinam iidem iſti dicant, vermem eſſe homine potiorem.Nugæ ſunt hæ, inſcitiæ ſoboles, alumnæ pertinaciæ; atque ſupinitatis.non eſt,dicimus nos,in materia iudicium ad formarum electionem. Qui materiam condidit, formaſque illas condidit,voluit ſuę quamque cuique acquieſcere.neque poſuit appetitum in materia mutationis,ſed perfectionis tantum. perficitur autem ſub

quali

qualibet forma quælibet pars & tota ſub omnibus. non eſt igitur ei opus mutatione: nihil enim poteſt vel amittere, vel recipere. Sed illæ nugæ in animis ocioſorum diſputatorum educatæ occalluere. hinc Peripateticorum, ſcholaſticorumque errorem alterum patefaciã. Peripatetici in 9. metaph. text. 17. exiſtimantes materiam eſſe potentiam contradictionis, omninò amouerunt à Cœlo, vt illud facerent ſempiternum. Contra ſcholaſtici, qui ipſum, rectè ſanè, crederent corruptibile, hac potiſſimùm de cauſa materiam attribuerunt. Vtrique profectò non neceſſario. nã materiæ ſua eſt quidditas, qua eſt aliquid, & aliud ab aliis: quare ſubtilius inſpectanti dici poteſt actio; non vt forma: ſed vt eſt in ſexto, ac ſeptimo ſupernaturaliũ: actu enim eſſe dicitur quod eſt extra ſuas cauſas: id eſt, quod nõ habet cauſam, à qua futurum ſit: ſicut hyeme roſa: cuius eſſe eſt in ſua plãta. habet enim materia differentiã, per quam materia eſt, & forma nõ eſt. quin acrius conſideranti dicetur actus. manifeſtum enim eſt, & materiam à forma, & à materia formã aliquid accipere, vt ex vtraque fiat hoc aliquid, & per ſe vnum. alioqui ſola ex forma vnum naturale cõficeretur. quippe forma antequã materiæ vniatur, non dum actu actus eſt, ſed actus potentia, ſi eſt in agentis poteſtate. ſi

verò eſt vt in ſemine: actu quidem actus eſt ipſi materiæ ſuo modo,& materia illi ſuo itē modo: æquè enim deſinet eſſe forma hæc,ſi materia deſinit eſſe ſub ea:atqui materia deſinit eſſe materia hæc,ſi forma abeat:non eſt ergo materia in potentia ad ſuum eſſe,quod ipſa ſibi eſt per ſuā eſſentiam,ſed ad eſſe hoc tale,quod eſt ab alio. eſt enim vnum principium Naturæ cum alio, & ſub alio 1. phyſic. text. 52.& pars compoſiti. 7. diuinæ ſcientiæ text. 2. & per ſe formarum fundamentum, primo eiuſdem tex. 34.&ſubiectū materialiū ſubſtantiarum. 5.phyſ,tex. 17. & per ſe cauſa compoſiti.2.eiuſdē text.8.28. Potentia verò illa non eſt relatio,ſed abſoluta entitas. quas prerogatiuas aduerſus Auerroiſtarū figmenta adduximus.Materia igitur non eſt potentia ad eſſe, & non eſſe rei, cuius eſt materia niſi in rebus corruptibilibus,in aliis verò deferat quantitatem,qualitates, motum, alioquin accidentia per ſe exiſterent ſine ſubiecto. Neque verum eſt quod ait Auerrois in lib.de ſubſtantia orbis, materiam eſſe ſubiectum contrariorum: quare & corruptionis: non enim omnium contrariorum neceſſario: ſed contrarietatis tantùm, quæ eſt ſecundùm vbi; quare neceſſario ponenda eſt in cœlo, quia in eo eſt: vnde, & quo;

Sic

Sic neque in noſtrati materia eſt potentia ad omnem contradictionem, non enim ad receptionem formarum materialium & immaterialium:ſed materialiũ tantum. Quamobrem nec materia cœleſtis habet accidentia, quæ ſint ad cõtrarietates:nõ enim quantitati aut figuræ quicquam eſt contrarium, & quod habet in eo cõtrarium, non eſt contrarium ad corruptionem, ſed ad perfectionem quippe motũ: Vnde, quo: Quod ſi quies eſſet motui cõtraria, ſanè aliquo modo contraria eſt: etiam alterum contrariorum in cœlo eſt:igitur Philoſophi non coacti ſuſtulerunt quod poterant non auferre. Theologi verò noſtri non rectè poſuerunt, quod nõ debuit poni neceſſariò. Etenim in 2. ſent. cũ metuerent illam obiectionem: Cœlum non habet contrarium, à quo corrumpatur: ita inſtiterunt, materiam in cœlo eſſe oportet, quia in ipſo eſſe oportet principium corruptionis: qui error maximus & duplex eſt. Primus quia omne ens ab alio, per ſe eſt corruptibile, etiamſi nullam habeat materiam, eſt enim finitum: non igitur ad cœli corruptionem arceſſenda materia fuit. licet enim non habeat contrarium, non tamen habet cauſam à ſe eſſendi, poteſt igitur à ſua natura non eſſe. At hoc in vniuerſis ac ſingulis

rebus principium eſt corruptibilitatis: Non autem contrarietas, quod enim actus purus non eſt, compoſitum aliquo modo eſt, Ergo & reſolubile. ſolus autem Deus purus, quare cum cœlum ſecundum Peripateticos ipſos ſit dependens, habet hoc ipſum principium diſſolutionis. Vnum enim ac ſolum neceſſarium ens, quod à ſe eſt. A Theologis igitur, apud quos Cœlum Dei nutu quod ex nihilo factum ſit, in nihilum redigendum aliquando eſt, ita vt ei nouum ſubeat cœlum, nõ neceſſario eſt appoſita materia, tanquam principium abolitionis: primum, quia cœlum nõ corrumpetur à contrario naturali, ſed nutu diuino. Deinde quod ſi materia ob id data ſit, & ob id corrumpatur: quid erit quod corrumpet materiam illam? ſanè materiæ nihil eſt contrarium. Incendio namque ipſa quoque conſumetur, quod cum futurum ſit alio quam noſtrati hoc igni, non enim nunc cœlum comburit, non fuit ponenda materia quæ ſuſciperet aliam formam. Omnia enim atque etiam ipſa materia, noua erunt. Plura hic à nobis adduci poſſent, ſed ſatis ſit oſtendiſſe materiæ nihil eſſe contrarium, materiam nõ meditari corruptionem, & per conſequens noſtratem materiam eſſe incorruptibilem prout cœli materia eſt. Nunc ad

Cardanum cõuertamur, Cœlum eſt propter noſtratia, non hæc enim illo ſunt inferiora, conſtant enim eadem materia & illa incorruptibili quidem vtriſque. Corpus autẽ humanum etſi diſſoluitur, non eſt minus nobile quàm celeſte corpus, cùm ſit ſubiectum diuinæ ſubſtantiæ, quæ dicitur intellectus: Illud quidem anteit ſimplicitatis, loci, officiíque prærogatiua; Hoc operoſius eſt, atque iſta ipſa conditione admirabilius. Quod ſi hominis, vt credimus, & ſperamus, cœlum futura ſedes eſt, etiam illi hominem anteponere nõ extimeſcã. Nec Cœli materia formæ dignitate primas ſibi vẽdicabit. Nam vt nonnulli putauerunt aliam formam habet cœlum qua cœlum eſt, & aliam formam qua mouetur, id eſt intelligentiam. Homo verò vnã ſolummodò formã, quippe intellectum, quo eſt id, quod eſt, quod homo nominatur: quare nobilior erit hominis materia propter informationem formæ nobilioris; ad hanc enim rationem, cœli forma nihil eſſet aliud, quàm forma corporis, quæ non poſſit illud mouere, mouetur enim hoc præſuppoſito ab intelligentia; quare cœli non obſoleſcunt, ſi propter hæc inferiora nobiliſſima orbem circumferunt, cumquè illorum motum ad noſtri moderationem componi apertum ſit,

neque eis eſſe naturalem, vt probauimus, hinc Dei prouidentia circa inferiora hæc perſpicuè ſatis intelligi cognoſcique poteſt.

EXERCITATIO VI.

Probat diuinam prouidentiam ex oraculorum reſponſis.

LApideas Deorũ ſtatuas, de futuris rerum ſucceſſibus & euentibus, vaticinia quædam edidiſſe compluries apud hiſtoricos legimus. Illud autem Dei prouidentiam ſingularem circa hæc inferiora vel maximè demonſtrat, Nam illa ſæpiùs vt edita, ſic facto ipſo contigerunt, neque tamen naturaliter effecta eſſe quiſquam auſit aſſeuerare, cùm naturæ longè excedant vires: ab aliqua ergo ſubſtantia ſupernaturali prædita facultate, cuius permiſſu illa edita fuerunt.

Nicolaus Macchiauellus Atheorũ facilè princeps in cõmentariis ad Titum Liuium, & in pernicioſiſſimo libello de Principe vernaculo idiomate conſcriptis, exiſtimauit hæc omnia falſa eſſe, & à Principibus ad incautæ plebeculæ inſtructionẽ conficta, vt quam ratio non poſſet ad officium, religio

ſaltem duceret;Pro hoc autem fine in rebus religionem concernentibus licitũ eſſe mentiri docuit etiam Socrates in 2. de Republ. & Scæuola,vt refert Aug. in lib. 4. de Ciuit. Dei cap.9.dicere cõſueuerat, Expedit in religione ciuitates falli, hinc tritum circumfertur adagium. Mundus vult decipi, decipiatur ergo.

At Macchiauello vnius Florentinæ Reipublicæ moderno hiſtorico nulla in hoc adhibenda eſt fides, cum pleni ſint omnes libri, plenæ omnium ſapientum voces, plena omnia tum Græcarum, tum Latinarum antiquitatum monumenta, quæ veriſſima doceant & indubitata oraculorum reſponſa. Deceptus eſt infœlix Atheus,quia nonnulla idolorum miracula fabuloſa aliquando potuit legiſſe, quare ex particulari contra Dialecticorum regulam vniuerſale intulit, omnia fuiſſe falſa : quæ propoſitio non habet conſecutionis probationem ſecundum formam,ab vno enim ad omnia non neceſſario concluditur.

Petrus Pomponatius Philoſophus acutiſſimus,in cuius corpus animã Auerrois commigraſſe Pythagoras iudicaſſet,in admirabili ſuo opuſculo de affectuum naturalium rerum cauſis, vera fuiſſe confitetur oraculo-

rum

rum reſponſa, non tamen edita à Deo, vel à Dæmone, ſed ab anima, & corpore cœli. Nam, inquit hic Mantuanus, cum intelligentia non ſit corpus, neque virtus in corpore ex Ariſtot. in 8. Phyſic. & conſequenter proprie non ſit in loco, neque in ſubiecto, nihil vetat dicere illam fuiſſe in ſtatua Idoli, Ibique facillime potuiſſe mediante corpore cœli (cœlum namque eſt inſtrumētum vniuerſale intelligentiarum) per os Idoli vocem emittere, prout Tibicen per tubam ſonum edit: Nam ſi ex Chriſtianorum ſententia Dęmon potuit id efficere, cur non ſupernæ mentes immateriales cœlorum motrices? cum plus virtutis non ſit in illo, quam in his ad oraculum ſiue idolum inflandum & mouendum. Cæterum vocem illam ab intelligētia vna cum corpore cœli formatam, & per os Idoli emiſſam, verè futura prædixiſſe, mirum non eſt, quando Amandinus lapis ex Alberto in 2. mineral. prophetiam, & interpretationem ſignorum, & ænigmatum geſtanti confert, Quiritia lapis ſecretorum eſt proditor. Silenitem diuinationi inſeruire ſub prima luna probatum eſt, inquit Albertus. Has autem virtutes ſyderum influxibus illi conceperunt; Quod ſi tantum communicat lapidibus cœlum, quidni vna

 eum

cum ſua dilectiſſima amaſia vnitum, id eſt, intelligentia, idem aut longè maius in ſtatua Idoli poſſe credimus effeciſſe? Haly Abenzagel ex ſyderũ ſibi cognita poſitione prædixit infantem natum ſtatim vaticinaturum, & ita euenit: nam ab ortu ſuo 24. horis poſt locutus eſt, mortem ſuã prænuncians & finẽ ad quẽ natus erat, patri ſcilicet vt imminentes familiæ calamitates denunciaret, vt refert idem Abenzagel cap.7. 5.part. Conciliator in expoſitione 27. problem. & Iunctinus in defenſione bonorum Aſtrologorum fol. par.20. ex impreſſione Francofordiana.

Abundè admodum, ac luculẽter aduerſus Pomponatium diſputauimus in Apologia pro Moſayca, & Chriſtiana Lege aduerſus Phyſicos, Aſtronomos, & Politicos. Nunc igitur ſatis erit adductis rationib. ſatisfacere.

Primæ, intelligẽtia propriè non eſt in loco, potuit ergo eſſe in Idolo. Reſpondeo falſam eſſe conſecutionem, etſi enim intelligentia in loco non eſt ſicuti corpus, cuius extrema complent vacuum corporis continentis. Attamen cum ſit ens finitum, neceſſe eſt vt ſit in aliquo vbi, vel in cœlo Iouis, vel Veneris. Atque ita quæro, intelligentia quæ mouebat cœlum Iouis nempè Iachiel, ex Cardani ſententia, quomodo potuit eſſe in ſtatua Idoli?

per

per operationem ne, an per definitionem? Primam partem cōcedere eſt perabſurdum; quia ſi intelligentia eſſet in ſuo vbi per operationem, non poſſet in eodem vbi aliam exercere operationem; ſed variata operatione, variaretur vbi. At hypotheſis non variat, quia ſine vllo motu ſui ſecundum, vbi, multas poteſt exercere operationes, neque poſſet mutare, vbi, niſi mutaret operationem. multominus definitiuè fuit intelligentia in Idolo, quippé vt ſic nō fuiſſet in ſuo cœlo, nā per definitionē intelligētia ibi eſt, hic nō eſt.

Secundæ rationi. lapides inſtillatam quaſi habent virtutem à ſyderibus futura prænoſcendi, tanto magis & ipſa ſydera. Reſpondeo falsū eſſe antecedens, innititur enim putrido fundamento, quippè Albertino teſtimonio, quod reiiciendū ducimus, cū in lapidū proprietatibus recenſendis quā plurimis ſcateat erroribus. Nā vt multa conſulto prætercam, quoties perfricta fronte affirmat adamātem ferro perfringi non poſſe, cum tamen malleolo in Scobem redigatur: Chryſtallo tamē paulò durior eſt, vt ex Card. in l. 7. de ſubt. c, de lapid. fol. 233. nos edocti, cùm eſſemus Antuerpiæ periculum fecimus. Et Lutetiæ Iuuenem quendam inuenimus, qui Albertinis coniecturis adhæreſcens dictos lapides

maximis coemit ſumptibus, ſed tanta tamque inanis pecuniarum profuſio in nullum aliud ei ceſſit emolumentum, quam in ſuiipſius ludibrium, adeoque in Scaligeri conceſſi ſententiam, vt plus virtutis ineſſe putem vni pulici, quam omnibus iis, qui vulgo pretioſi habentur, lapidibus: falſum eſſe probans certis demonſtrationibus, antiquum circulatorum prouerbium, Virtus in Verbis, & in lapidibus: Nam nec ipſa verba quantumuis magica ex Trithemij Steganographia, & Agrippinis excantationibus deſumptra vim aliam habent, quam immutandi auditum.

Tertiæ rationi, Haly ex Syderibus denunciauit puerum natum prophetarum, prophetiam igitur aſtra conferunt.

Reſpondeo negando cõſequentiam, pueri namque prophetia fuit in aſtris tanquam in ſigno, non tanquam in cauſa. Veſtigemus verò veritatem ex ipſis Aſtrologorum confeſſionibus. Albertus magnus in ſuo ſpeculo àſtronomico de libris licitis cap. 11. ait, *Iam ſcimus quod ſigno virginis aſcendente natus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, non quia ſubiaceret ſtellarum motibus, qui creauerat & ipſas ſtellas, ſed quia cum extenderet cœlum ſicut pellem, formans librum vniuerſitatis, dedignareturque opus facecere*

eere incompletum, noluit literis eius deeſſe, & eis quæ ſecundum prouidentiã in lib. æternitatis ſunt, elegantiſſimũ illud, antequam de Virgine naſceretur, vt per hoc innueretur homo naturalis, & Deus, qui non naturaliter naſcebatur, non quod cœli figura eſſet cauſa, vt ſic naſceretur, ſed potius ſignificatio; immò ipſe erat cauſa, quare modus admirandæ ſuæ Natiuitatis per cœlum ſignificaretur. Hieronymus Cardanus, cui multum debet Aſtrologorũ nobiliſſima Reſp. in lib. 4. de ſubtil. cap. de luce & lumine, cum dixiſſet poſt Cometæ apparitionem Principum mortem, legum mutationem conſequi, ſubdidit: *& cometes horum poteſt eſſe ſignum, cauſa vero minime.* Ita & ego dico pueri prophetiam fuiſſe in cœlo non tanquam in cauſa, ſed ſigno duntaxat. Quare potuit Haly periſſimus Aſtronomus ex aſtro Veneris bene diſpoſito facillime illud coniicere. Illud autem obiter adnotemus, Naturale, non miraculoſum opus eſſe, vt puerulus recens natus loquatur, nam cum ſermõ linguæ robore & intelligentia conſtet: hæc autem cum illo adueniat prius pleriſque, hinc fit, vt mirum videatur, loqui puerum intelligentia nõdum abſoluta, Attamen ſi linguæ robur prius perficiatur, cum homini à natura inſita ſit ipſa vis loquendi, quidnam officiat quo minus

audita non intellecta ad inſtar picæ, aut pſittaci effutiat, vel intellecta iam nixu quodam ſpirituum, atque concurſu ad linguam proferat?

EXERCITATIO VII.

Ex reſponſis Sybyllinis prouidentiam Aeterni Numinis confirmat.

FVturos euentus ſybyllæ pronunciabant, idque non ex Ephemeridũ contemplatione, multominus ex interrogationũ ſcientia, quam profeſſus eſt Albumazar. Diuino igitur ac ſupernaturali afflatu permotæ id præſtabant; quare fatendum eſt ſanè, à cæleſti aliquo numine regi hæc noſtratia atque temperari. Innuit hoc arg. Ariſt. in lib. 2. ad Eudemium. Plut. in lib. Cur oracula eſſe deſierint: reſpondet falſam eſſe cõſecutionem, vtpotè non ex integra partium enumeratione illatam. Quare diuinandi poteſtatem in vim terræ transfert, in vaporem ſcilicet antri Delphici, vbi ſybyllæ reſponſa dabant: probat, quia cum Apollinis antri vapor ab initio violentior eſſet, maiori cum impetu ad futurorum prædictionem vatis animum impellebat: quare tunc temporis oraculorũ reſponſa carminibus edebantur, cùm autem vaporis vis impetus paulatim diminueretur,

impe

impetus quoque erat remiſſior, hinc ſoluta oratione futura prædicebantur, cumque vis illa exhauriretur penitus, oracula quoque deſinebāt. Vapor autem quod prædicere cogat, & carmina condere, probat Plut: Nam id vini vapor efficit, & terræ igitur. Nam vt ex vino impetus, ita ex terra exhalatio inceſſit animum.

Super hac quæſtione abundè admodum diſſeruimus in noſtra Apologia pro Mos. & Chriſt. Lege. Concedamus nunc terreſtrem illum vaporem potuiſſe cogere ad carmina, non tamen ad futurorum euentuum prædictionem, quam Sybyllæ cum ſumma omnium admirabilitate edebant.

Hieron. Cardanus. in lib. 14. de rerum variet. c. 68. Sybyllinas prophetias tribus adſcribit cauſis, vi terræ, vi cœleſti in puella, & vi cœleſti in antro, vis terræ vatis mentem agitabat: nam cùm in antri penetralia ingrediebatur, vapor ille in exſtaſim rapiebat vigilantem. Exſtaſis autem vigilanti, etiamſi caſu contingat, futura oſtendit quampluri-ma, in quorum veritatem Sybyllæ mens cœleſti eleuata vi dirigebatur. Per vim autem cœleſtem intelligit ſydereos influxus Sybyllæ, & antro prædominantes, Veneris ſcilicet aſtrum cum Sole atque Saturno.

Philoſophi

Philoſophi ita Cardano obiicerent, quomodo noſti in Sybyllarum geneſi Veneris aſtrum bene fuiſſe collocatũ? quis Sybyllarum ephemerides tibi detulit? ex ipſarum virginitate reſpõdet Cardanus id deprehendo: at quot millia virginum in monaſteriis virginitatem cuſtodiunt,nec tamen prophetizant? Adhęc,quid habet aſtrum Veneris,vt ſybyllæ debeat futura oſtendere? quomodo id continget, cum omnis noſtra cognitio ex connexis fiat, & præcedentibus cognitis, vt Ariſt.in Analyticis ſcripſit:& qui fieri poteſt, vt aſtra,cum ipſamet neſciant,nos,quę ignorent, edoceant? Sed mittamus hæc philoſophica ſophiſmata, & ex Aſtrologia Cardani inſcitiam, Ptolomeo cõmuni omnium præceptore,detegamus. Errat, errat ſane Cardanus,dum Mercurij & Lunæ nullã facit mentionem, cum Ptol. de aſtr. Iud.lib.3. cap. de monſtris tex.20.dicat *Mercurius oraculorum & ſomniorum interpretes creat*, & lib.4. cap.4. tex. 18. inquit. *Rurſus ſi luna propoſitum locum gubernet, à congreſſu cum Sole properans cũ Mercurio,in Tauro,Cancro,& Capricorno, vates facit,ſacrificos per peluim diuinantes. In ſagittario & piſcibus ex mortuis vaticinãtes, & dæmonum prouocatores:in Virgine & Scorpione Magos, Aſtrologos, futurorũ cõſultos,præſcita edoctos.in Libra,Ariete, & Leo*

& Leone diuinitus furore correptos ex ſomniis coniectantes, coniuros, id eſt, adiuratores. Quo in loco Card. Ptolomæi mentem ſic explicat.
“ *Intentio Ptolomæi eſt dicere, quod luna eſt cauſa diuinationis, cum quatuor habuerit conditiones. Prima vt egrediatur ſolis radios, appareatq́ iam tũ. Secunda, vt ad Mercuriũ vadat; manifeſtum autem eſt occidentalem debere eſſe Mercurium. Tertia, vt luna præſit cœli medio, vel loco planetæ opificium ſignificantis. Quarta vt ſit in ſignis conuenientibus, nec ex his putat aliquod non eſſe præter Geminos & Aquarium. Igitur lunam diuinationum eſſe parentem certo dedicimus experiemnto. Cur vero author ſit diuinationis, multæ ſunt cauſæ. Eſt enim multiformis, & vi continens omnium ſtellarum vires, & nocturno tempore præeſt, & per ſe phanaticos ſignificat. Nec vero ſolum cum hæc omnia affuerint, diuinationis cauſa erit, ſed licet ex his vnum etiam deficiat. In Tauro igitur proprie facit vates, quia Venus occultam facit diuinationem, & in Tauro Venus & luna gaudent. In Cancro quod aqueum ſit ſignũ, per aquam, in eo autem luna & Iupiter dominantur; à beneficiis autem diuinatio procedit. Rurſus in Virgine quod ibi Mercurius ſedẽ ſuam habeat, & luna gaudeat, nobiliorem diuinandi ſcientiam ſignificant Planetæ.* Cum igitur ex tua & Ptolomæi opinione Mercurius & luna ad

na ad diuinationem conferant, quid quod de his in lib. de rer. variet. ne minimam quidem feciſti mentionẽ? ſed ſolius Veeneris aſtro, Saturni & Solis id tibi placuit totũ adſcribere. Miror etiam Iouem & Martem quare Apollinis templo prædominari non dixeris, cùm hoc vel ex reuerentia & ſacrificiis coniecisſe debebas. At excuſatum te habeo. Nam lib. 4. in Ptolo. t. 16. fol. 686. adiungendum putaſti ſine vlla tamen iudicij mica. *Mixtio* (inquis) *Saturni cum venere facit diuinatores, & vt ſuprà viſum eſt vetitis, & damnoſis artibus deditos. Cum Ioue autem, cum duæ beneficæ vincant, fœlices faciũt ſatis, vnde augures, & ſacrificos. nullum enim genus hominum fœlicius aut magis honoratum in quauis lege ſacerdotibus exſtitit. Hi igitur à Ioue, Venere, & Marte ſignificantur. De Ioue quidem & Venere cauſa clara eſt, quod & diuitias, & reuerentiam, & ſecuritatem, & opinionem ſignificent diuinitatis: vnde malè fecerunt qui Saturnum illis permiſcuerunt, vnde paupertas & contemptus, quamobrem nullus ordo talis perpetuus, ſed omnes eò diuturniores quò potentiores. Nam in talium conſtitutione beneficæ plurimum potuerunt. Sed de Marte cauſa eſt ſacrificiũ & mactatio animaliũ, & nũc loco eorũ, funera hominum curant.* Quàm abſurda hæc ſint, & incõgrua, vel is etiã qui à limine dun-

taxat Aſtrologiā ſalutarit, intelligat. Negas Ordinē, ſeu Religionē pauperē, diuturnam, cùm tamē Chriſtiana religio pauperrima ab initio fuerit, quare tu ipſe in Chriſti genituræ expoſitione quę habetur in Ptol. de Aſtr. Iud. l. 2. c. 9. t. 54. fol. 374. hæc habes verba. *Cûmque ſors eſſet ſub terra in finibus Saturni deſolata, ſignificauit paupertatē, vnde de ſeipſo dixit filius ho. nō habet vnde reclinet caput ſuū:* perpetuo tamen ex Euāgelica veritate, lōgiſſimo autem temporis ſpatio ſecundum Aſtrologorum figmenta duratura eſt. Nam fol. 366. inquis; *Eſt Geneſis Domini noſtri Ieſu Chriſti,* " *in qua tot videbis & tāta mirabilia, vt iudices,* " *etſi naturalibus rationibus ſolummodo inſiſten-* " *dum eſſet, Chriſti Natiuitatem fuiſſe admirabi-* " *lem, naturámq; illi tribuiſſe quantum concurſu* " *omniū cœlorū excogitari poterat. Et naturaliter* " *legē noſtrā eſſe legē pietatis, Iuſtitiæ, Fidei, Sim-* " *plicitatis, Charitatis, optimeque inſtitutā, nullū-* " *que habiturā finem, niſi poſt reditum Eccliptica-* " *rū, in quo fiet nouus ſtatus vniuerſi:* in die ſci- " licet Iudicij vniuerſalis nobis tua pace exponere liceat. Aſſeris inſuper Religiones eò diuturniores, quò potentiores, quod falſiſſimum eſt, potētiſſima ſanè fuit Arrij hæreſis: graſſabatur. n. per omnes mūdi partes; ita vt Hieron. dixerit. Totus mundus factus eſt Arrian⁹. Sola Petri Sedes, à Chriſto fundata

ſuper firmam petram, aduerſus quám portæ inferi præualere non poſſunt, ab huiuſce hæreſis lue intacta remanſit: vix autem ducentis annis dominata eſt, quin imò vno quaſi arietata impetu concidit, exciſaque eſt, vt ne nunc quidem vel parietinæ vllæ, vel rudera, vel ne ipſius quidem ſuperbiſſimi, ſceleratiſſimique fundatoris (Deo ſit laus) nomen ſuperſit: ſed ad rem propius.

Cur in Sybyllarum Geneſi Aſtrum Veneris cum Saturno adiungis? nonne in Ptol. in lib. 3. de Aſtr. iud. c. 16. text. 83. hæc pellegiſti verba? *Veneris ſtella Deorũ prædictionibus, & oraculis vitia quodammodo elegantia, plauſibiliaq́ efficit, morbos diuinitus petitis curationibus mitigabiles; At ſi cum illa congreſſus ſit Saturnus, nõ ſine ignominioſa pœna, & vulgo nota.* at huius ignominiæ pœna publica inflicta ſybyllis nõ fuit, Non igitur Saturnus cõgreſſus eſt cum Venere iuxta tuam poſitionem.

Ad hæc cur aſſeris benigna fuiſſe ſydera: in ſybyllarum ortu? quia diuinationem eis contulerunt, reſpondes: imo ex hoc ipſo maleuola fuiſſe dicendum putem. Audi Ptol. in lib. 3. tex. 78. *At ſi maleficæ in orientali angulo conſiſtunt, beneficis ad occaſum repulſis, incurabilia iuxta, ac illuſtria, maximeq́ omnibus inuulgata mala afferunt, epilepticis continuitatem morbi,*

vocifε

vociferationes,& mortis ſæpè terrores iniiciunt,ad inſaniam & ſtuporem adducunt,in Domeſticos incoërcitam licentiam, denudationem crebram, & blaſphemias,eiſque cognata. Ad Dæmonoplexiam, aut cerebri auiditatem bacchantium, (hoc enim verbo vtitur Virg.lib.6. cũ de Sybilla loquitur) *cõſuetudinem,occulta paſſim prodẽdi morem, verberationes,& his ſimilia adiiciunt.Peculiariter verò ex locis quæ figurationem comprehendunt, Solis & Martis loca ad inſaniã efficacia imprimis ſunt. Iouis & Mercurij ad Comitiales. Veneris ad Numinis afflatus, & arcanorum reuelationes. Saturni & Lunæ ad humorum copiam,ac Dæmonoplexias,id eſt,Dæmonum vexationes.*Fabellæ hæ ſunt: Cardani tamen Aſtronomi inſcitiam redarguũt. Hallucinaris etiam & grauiſſimè cum Solem Sybillarum quaſi Rectorem & moderatorem conſtituis. Nam ex antri humore frigidiſſimo Sybillarum mentem eleuari ſupra aſſerebas. At reſpõdet Cardanus. Furore corripiebantur Sybillæ, ob Solis igitur calorem. Imo Martis,vt tu poſtea fateris non inuitus lib.4.de Aſtro. Iud. in Ptol. tex. 18.in fine. *Diuinãt tamen quãdoque propter vim Lunæ,& Veneris, in eo,& oppoſito ſigno, (Cancro ſcilicet & Capricorno.) Sed in Libra facit (ſcilicet Luna) eos,qui ex ſomniis diuinant propter vim Saturni,& Veneris contrariam. In Ariete autem*

 furo

furore correptos ob vim Martis, Sicut in Leone exorciſtas ob Solis potẽtiã, quæ natura Lunæ aduerſatur. Ideò Luna Dæmonis, Sol exorciſtæ vim habet. Exorciſtæ non erant Sybyllæ, nec Soli ſubjectæ igitur. Quare cum tam varia támq; pugnatia adducat Cardanus, irridendus potius quàm refellẽdus, & Sybillina reſpõſa maiori & digniori principio adſcribat neceſſe eſt.

EXERCITATIO VIII.

Comprobat Dei prouidentiam ex vetuſtæ, & nouæ Legis miraculis.

ARgumentũ è miraculis deſumptum, Dei prouidẽtiam tam dilucidè probat, vt inductione longa facilè poſſimus ſuperſedere: ſed quid ad hoc Athei reſpondeãt, inueſtigandum nobis eſt, Cum nulli hactenus id aggreſſi ſint operis: placuit.n. nobis noua ſeligere omnia, vt cordatus Lector æquè poterit æſtimare.

Nicolaus Macchiauellus facili negotio hanc abſoluit quæſtionem, exiſtimat miracula excogitari, & confingi à Principibus ad ſubditorum informationem, & à Sacerdotibus ad lucri, honoriſve aucupium.

At putridum hoc mendaciũ eſt, vt ex tuo ipſius ore patefaciam ſerue nequam, in libello de principe, aſſeris Chriſtianã religionem politico regimini aduerſari, nam exanimat

hominum animos ob inferrorum timores, emaſculat vires ob ieiunia, imbelles omninò efficit homines, dum à vindicta remouet, & incruento ſacrificio vtitur, non igitur Politicus Princeps legem hanc intentioni, propoſitoque ſuo omnino contrariã miraculis cupiat, & prodigiis ſtabilitam. multo minus Sacerdotes Chriſti vicem in terris gerentes miraculorum meditãtur nundinas. Nam in Commentariis ad Tit. Liuium in cap. vbi aſſeris in Regni, & Reip. ſcitiſſimo, æquiſſimóque regimine ad primæuas ſanctiones reduci cuncta debere. Exemplum affers Beatorum Frãciſci, ac Dominici, qui Chriſtianam religionem quaſi collapſam (at quomodo id fieri poteſt ſi à Chriſto ſupra firmã petram ædificata eſt) ab interitu vindicarũt, dum ad fundationis primordia reduxerunt, ad paupertatis. ſ. & humilitatis prædicationẽ, obſeruationemq; queẽadmodũ à Chriſto ſumpſit exordium. Audi nunc Nicolae, per te fideles iſti paupertatem profeſſi ſunt & humilitatẽ, non igitur lucri, honoriſq́; cauſa miracula confinxerunt. At cõplurimis miraculis Sanctiſsimos hoſce viros inclaruiſſe luculẽtiſsimo, certiſsimoq́; Eccleſiaſticæ hiſtoriæ teſtimonio comprobatum eſt. Falſa ergo tua poſitio, auaritiæ, ſuperbiæq́; cauſa à Sacerdotibus miracula excogitari.

Petrus Pōponatius in opuſculo de affect. rerum nat.cauſ. Baſileæ impreſſo, vera eſſe dicit vtriuſq; legis miracula. Eorum tamen cauſam effectricē putat eſſe vel Sydera, vel Imaginationem noſtram. Sydera quidem, nā vniuerſi ordinē, ac regimen cum intendant, & religionū quoque inſtitutiones, à quibus omnis emanat ordo. Verùm quia Gētes nouo Legiſlatori non crederēt, niſi & miracula ipſum operantem intuerentur: idcircò cunctas virtutes, ac facultates, quas ipſa Sydera ſeiunctim impartiuntur animalibus, herbis, & lapidibus, in vnum colligunt, & nouo Legiſlatori conferunt, qui tanto donorum cœleſtium comitatu circumſeptus, & communitus, quamplurima conficiet admirabilia. Nam ſi poteſt præſtare illa Diabolus, & hic igitur nouæ legis Sydereus auctor. Conſecutio probatur. Nam ex Diui Aug. Sententia, nullum pręſtat mirabile Sathanas, niſi actiua paſſiuis applicando, quod aliud nō eſt, quàm patientis ſenſus alterare, phantaſiam commouere, & herbarum ſuccos efficaciſſimos ſibi optimè notos ex diſiunctiſſimis terrarum partibus confeſtim allatos ſubjecto applicare. hæc autem omnia, & longè maiora vi ſyderum nouus Legifer præſtare poterit. Adducit complura exempla, quæ referre non licet religionis gratia.

Conſentit Hieronymus Cardanus, qui ab aſtris legum ducit originem, in lib. de ſupplemento Alman. cap. 22. Ita loquitur. (ô os impudentiſſimum, ô linguam execrandam, ô Sermones inquinatiſſimos, ô voces deteſtandas.) *Lex Iudaica, inquit, eſt à Saturno, vel eius ſtella, vel potius vtroque: Chriſtiana à Ioue & Mercurio: Mahometica à Sole & Marte æqualiter dominantibus, vnde iuſtitiā ſeruat rigidiſsimam cum impietate & crudelitate inaudita. Idololatria à Luna & Marte. Soluitur autem vnaquæque lex à ſuo contrario, Saturnum debellat Iupiter authoritate, & Mercurius ratione. Iouem, & Mercurium debellat Mars, non audiens rationes, & ſæuiens contra authoritatem. Martem & Solem debellant Saturnus, & Venus, hæc laſciuia, ille dolis. Martem & Lunam debellant Sol & Iupiter authoritate, dignitate, & veritate.* Deinde concludit: *ob hoc Chriſtiani erigite capita, qui poteſt capere, capiat.* Et in lib. centum genit. Gent. 8. quæ eſt Franciſci Gallorũ Regis inquit, *Chriſtianam legem fouet igneus Trigonus, Mahometis aqueus, vnde à 150. annis circiter ſecta illa inualuit: fundata enim eſt poſt Saturni Iouiſque congreſſum in Scorpione factum in anno 630. annis autem poſt mundum quatuor legem promulgauit, vel ut quidam volunt promulgata eſt anno 619. coniunctio autem præceſſerat in anno 610. in piſcibus. Porrò*

Chriſtianam legem præceſsit eodem anno promulgationis magna coniunctio in Leone Chriſtũ exorientem ſex annis, exoriẽtem autẽ Mahometum in initio Cancri, Anno Domini 590. non maxima, ſed magna tamen coniunctio. In Ptol. de Aſtro. Iud. lib. 2. tex. 17. *Affligẽtur autẽ leges maximè vt in trigonis oppoſitis coniunctiones maximæ fuerint. Eſt Trigonus Chriſtianæ Aries, Leo, Sagittarius, & eius Dominus Iupiter, quia Sol communis. Idololatriæ Taurus, Virgo, Capricornus, & eius Dominus Venus. Nam Luna communis eſt. Iudaicæ, Gemini, Libra, Aquarius, & eius Dominus Saturnus, nam Mercurius communis eſt, quia omnibus fauet, & ideò poſteriores Legem Iudaicam non deſerunt, ſed recipiũt, quia Mercurius, quo omnes Leges indigẽt, propriè dominatur trigono Iudæorum. Ideò decreta eius Legis tanquam fundamenta ab aliis recipiuntur. Trigonus autem Cãcri, Scorpionis, & Piſcium Mahometicæ præeſt, nã Mars Religioni illi dominatur, & initium dedit coniunctio media anno* Chriſti *591. in* Cancro, *quæ poſtmodum perſeuerauit vſque ad annum 789. in ſignis Aqueis. Nemini autem dubium eſt, quod Mahometes natus eſt intra hos terminos, legémq; ipſam promulgauit.* Chriſtus *quoque natus eſt poſt ſex annos à coniunctione maxima in Ariete, promulgauítque legem ea coniunctione in Trigono Arietis,* Leonis, *& Sagittarij vigente. Itaque tum ab origine temporis*

poris, tum regionum vbi cœperunt, tum moribus, patet hos trigonos, hos Planetas Legibus *illis præeſſe eaſque moderari. Aduerſantur autem trigoni prout Planetæ. Trigonus quidem Arietis Trigono* Cancri, *quia Mars & Iupiter inimici ſunt, & maximè potentes ambo, ideoque diuturnum bellum. Similiter Trigonus Tauri trigono Geminorum, quia Venus &* Saturnus *inimiciſsimi, ſed ambo debiles tamen. Vnaquæque etiam lex, maximè poſterior alias deſtruit,* in tex. 19. fol. 284. Conſimiles abſurdiſsimas complures recitat fabellas. Lex *noſtra & Seruator ipſe ſub Arietis coniunctione ſuperiorum natus eſt, & ipſa* Lex *orta. Cœpit enim duodecimo* Chriſtus *anno diſputare. Promulgata verò ſub coniunctione ſuperiorum in Sagittario in regione Arieti ſubiecta. & nunc mediorum triangulorum vis maior cùm ſit in extremo oppoſito, viget in Gallia, Italia, Britannia, Sicilia, Germania, Hiſpaniaque, quæ omnes trigono illi Arietis externo ſubiiciuntur. Rurſus* Lex *ipſius Mahometis ſub aqueo trigono fundata eſt, & in illius quadrante, in Arabia ſub Aquario promulgata in medio Trigono, confirmata autem magis in Armenia, Hircania, Mattiane, Bactra,* C*aſperia, Setica, Sauromatibus, Oxiane,* L*ogdiane. Demum propter concurſum aquei trigoni, qui in quadrante quarto viget, promulgata eſt etiã in Numidia,* Carthagine,

Africa, Phyzania, Naſamonitis, Garamãtibus, Mauris, Getulis, Metagonitis, Bithyniis, Colchis, Syria, Cappadocia, Lydia, Cumagene, Cilicia, Pamphylia: Arabiæ autem adiacet Aegyptus, Cyrenaica, Aethiopia, Media: conſtat & Scythicam gentem in extremo trianguli quadrantis tertij vltimam futuram, quæ nomen Mahometis relinquat: Sicut & Hiſpaniam & adiacentes regiones, vt dixi, legem Chriſti. Hæc tam ſubtilia ſunt, ſi cauſam diuerſitatis intelliges, quoniam illa maior eſt, cuius quadrans conſentit cum tempore promulgationis, quadrans enim duos habet trigonos, & duo trigoni duobus trigonis reſpondent mutuò ſibi inuicem oppoſitis. Iſta firmior cuius trigonus conſentit cum tempore promulgationis. Schiſmata quoque & hæreſes ad Aſtra refert. De Schiſmate Anglicano ſub Henrico octauo, in tex. 54. fol. 347. Ita loquitur. *Cometes à deliquio diſtinctus, Martis, ac Mercurij furentium damna ſignificat. Itaque & Iouius bona quædam immiſta habebit, veluti ventos ſalutares pluribus atque fæcundos. Verùm & cum hoc diſsidia Sacerdotum in religione Chriſtiana, prælia, non diuturna bella, abſceſſus & febres acutas. Talem fuiſſe eum qui viſus eſt anno 1533. in Ariete ſub Septentrionali parte Galaxie credendum eſt; Nam Iupiter Legem Chriſtianam, Aries Britanniam, Mars & Mercurius ſignificauerunt diſsidium & permutationem, quæ*

facta

facta eſt poſt triennium in tota illa Prouincia, iubente Rege illorum Henrico octauo. Lutheranam quoque hæreſem ad ſydera, nempe ad Venerem in Spica Virginis refert in lib. centum genit. gent. XI. quæ Martini Lutheri eſt.

O ſacrilegam doctrinam, & ex hominum conſortio eliminandam: ô impietatem nefariam, & poſt homines natos inauditam? Prophetarum vaticinia, Chriſtianam religionem à Deo inſtitutam, à Deo miraculis confirmatam ad fabuloſam & commentitiam Arietis coniunctionem referre. *ex Cardan. in Ptolom. de Aſtror. iud. lib. 2. tex. 54. in præfat. ad Chriſti natiuitatem fol. 362. Arietis octauæ ſphæræ cum capite Arietis nonæ coniunctio nõ fit niſi in 36. millia annorum ſpatio, & etiam ſunt qui dicant in 49. millia.* Non igitur ex hac coniunctione, vt ibidem voluit Cardan. Chriſti lex exorta eſt, cum ex Sacra Hebræorum hiſtoria 6822. anni ab orbe condito præceſſerint: Sed efficiamus vt Diabolica hæc Pomponatij, & Cardani moles ſuomet onere corruat. Affirmat ille Sydera cauſam eſſe nouarum legum, Moſaicæ præcipuè & Chriſtianæ. At quomodo hæ Leges à Syderibus ortum ducunt, cùm Syderum cultum omninò abrogent,

Eſ.47. & Gal.4. Suntne adeò veſana Sydera, vt aduerſus ſemetipſa Legem condant? quomodo pro vniuerſi bono ab aſtris religiones inſtituuntur, cùm tam diuerſæ ſint? Vnde oriuntur contentiones & cædes Ad hæc, quomodo nouo Legiſlatori ab Aſtris cōfertur facultas miracula operandi? Si Mahometes nouā legem inſtituit ſub Marte & Sole, abſque vllis miraculis & ſignis Conſimiliter & Hæretici à Catholica Eccleſia deficientes noua ſine vllis miraculis dogmata confingunt, niſi viuos occidendo, vt de Caluino certum eſt; Hallucinatur etiam Pomponatius dum herbarum viribus miracula edi poſſe credit, quando in noſtra religione mortuos quamplurimos à Sanctis viris ad vitam reuocatos fuiſſe legimus, quod herbarum ſucci præſtare nullo modo poſſunt; neque Diabolus ex noſtra ſententia miracula operari vllatenus valet: ſed illuſiones tantummodò mendaciis, doliſque refertiſsimas, vt ſcribit Apoſtolus.

Sed ad Cardanum veniamus, L*ex iudaica*, (inquit) *à Saturno eſt*, cur omiſiſti Mercurium? Sanè in Ptol. de Aſtr. Iud. lib. 2. tex. 17. fol. 278. ita loqueris. L*eges omnes in medio habitabilis promulgantur, & ex illo in ex-*

extrema perueniunt, quia Mercurius Dominus eſt eius partis, ſcilicet mediæ, vt declaratum eſt. Leges autem multis verbis indigent & rationibus, & mendaciis, etiamſi oportuerit, & volubilitate cerebri, quæ omnia à Mercurio ſignificantur. Nihilominus Mercurius per ſe non poteſt dare legẽ, ſed ſocius fit Saturno & dat legem Iudæorum, quæ eſt duriſſima, & fœdiſſima, & plenà mendaciis, & abominatione, cum auaritia, & vſura, diuortio, & connubiis illicitis, & lepra, & immunditia gentis, in text. 17. fol. 279. *Lex Iudaica ortum habuit ab oriente, quia Saturnus orienti præeſt*, immo occidenti vt aſſeris aliàs, (& congruentius hoc crediderim) in tex. 18. fol. 282. ita loquitur, *Iudaica* Lex *Mercurium Saturno adiungit, vnde ipſi maximè ſunt induſtrij, loquaces, & miſeri, & parandæ rei pecuniariæ dediti. Sabbathum colunt propter Saturnum.* Imò propter liberationem à Saturno, nempe ab Ægyptiaca ſeruitute, quam ex Aſtrologorum ſententia, Saturnus intulit. Saturnus namque præcipuè dat tribulationes, & ſeruitutes, ex Ptolomæo libro 4. de Aſtror. iudic. text. 71. Sed pergamus *Chriſtiana*, ſubdis, *à Ioue & Mercurio*: cur non à Marte? qui ex tua opinione, & falſa illa quidem, nã multò antè id prædixerat Propheta, Oblatus eſt, quia ipſe

ipſe voluit, in ipſius genitura exiſtens in 8. domo, mortem ei comminatus eſt acerbiſſimam, vnde Exordiũ lex cepit firmiſſimum: cur à Ioue? reſpõdit in expoſitione geniturę, *Iupiter ſuauitatem morũ, & probitatem, & manſuetudinem cum eloquentia & ſapientia maxima declarabat; itaque factum eſt cum in aſcendente eſſet, vt anno 12. in templo diſputauerit, Iupiter enim ibi ante tempus dat ſapientiam.* At ſi Iupiter dat ſapientiam, cur adiungis Mercurium? Nonne & Venus etiam id ſuppeditabat? Ita ſanè confiteris in expoſitione genit. *Spica virginis, Stella magnitudinis primæ, & Naturæ Veneris, ac parum Martis, quæ ante aſcendens fuit partibus ſolum tribus, tum ob partes duas Auſtralis latitudinis, tum quia verum æquinoctij punctum aſcendebat, ideo eloquentiam & gratiam apud gentes præſtabant, naturalemq́; futurorũ cognitionem.* Cur non & Soli Chriſtianam religionem adſcribis? Sanè in tex. 18. in libr. 2. Ptol. de Aſtror. iud. inquis *Chriſtiani Iouẽ iunctum habent cum Sole, illiúſque diem colunt Dominicum: Sol autem ſignificat iuſtitiam & veritatem: Chriſtiana autẽ lex plus continet veritatis, & ſimpliciores reddit homines.* imò prudentiores, Nam idem Chriſtus ipſiſsimus Deus dixit Apoſtolis, eſtote ſimplices vt columbæ, & prudentes ſicut ſerpentes. Adhæc

ſi Chri

ſi Chriſtiani ſunt ſimpliciores, cur à Mercurio, qui ſagaciſſimus eſt, ipſorũ religionem, ortum ducere aſſeris? *Mahumetis*, ſubdis *à Sole & Marte æqualiter dominantibus, vnde iuſtitiam cuſtodit.* At tibimet contradicis in text. 17. vbi inquis. *Aſſociatur Mercurius Marti, & facit legem Mahumetis plenam violentiæ, & crudelitatis, fœdam diuortio, & vxorum multitudine, & libidini iunctam, fabuloſis mendaciis, & impudentibus refertam, abhorrentem à pietate & humanitate*, & tex. 18. inquis, *animaduertendum, quod ad trigonos attinet atque leges, Mahometicam quæ ſub Marte eſt, ſibi adiungere Venerem, vel Lunam. Venerem, ob inexhauſtam libidinem, diemque illi conſecratum colunt. Lunam verò quod laborioſiſſimi ſint atque vagi, ciuſque in vexillis imaginem referunt: ob vtramque autem plures accipere vxores lex illa permittit.* Albumazar etiam, à quo Cardanus hæc omnia accepit, Turcicam ſuperſtitionẽ aſtris adſcribit. Vtinam verò illius aſtronomicum iudicium de Sectæ huius duratione veritati correſpõdiſſet, nam ipſa lex exhauſta omninò foret & exinanita. Subdis: *Idololatria à Luna & Marte*, Cur non adiunxiſti Mercurium & Venerem? Nam in expoſitione tex. 17. inquis. *Mercurius iunctus Veneri facit legem Idolorum debilem, & luxui deditam in qua omnia licent:*

licent: & multiplicem propter Mercurij potentiam, ideoque cum Venus debilis ſit, comparatione ſuperiorum, facta eſt leuis, plurium Deorum, plena ſuperſtitionibus; & diuinatione, & fabulis, quæ plenæ ſunt etiam adulteriis, & flagitiis aliis, & amoribus puerorum. Mercurius enim talia omnia ſignificat. Et in text. 18. *Idolorum*, inquis, *lex Veneri Lunam adiungit orientalem, ſicut Mahometica occidentalem*, & text. 17. *Idolorum lex, quoniam à Venere originem ſuam habuit, initium ſumpſit à meridie, ſcilicet Aſſyria. Babylonia, & Chaldæis. Primus enim* Belus *Aſſyriorum Rex adorari ſe præcepit.* His omnibus oppono Trithemium, qui in lib. de ſeptem Secundeis, docet Idololatriam incepiſſe ſub regimine Michaëlis, qui Angelus Solis eſt. Subdis: *ſoluitur autem vnaquæque* Lex *à ſuo contrario*: nequaquam, Lex Chriſtiana, quæ iuxta tuam aſſertionem ſub Ioue, & Mercurio eſt, ſoluit Legem Gentilium ſub Luna & Marte conſtitutam. Iupiter, & Mars inimici ſunt; non autem Mercurius, & Luna.

Sed excipiamus tuam ratiocinationem. *Saturnum debellat Iupiter authoritate, & Mercurius ratione.* Deceptus eſt hic Atheus, quia exiſtimauit Chriſtũ ſoluiſſe legẽ Hebræorũ, quæ ſub Saturno erat, At contrariũ Chriſtus fatetur: Nõ veni ſoluere, ſed adimplere legẽ.

Adhæc Iudæorum Lex eſt ſub Saturno. A Chriſto igitur ſoluta non eſt: cõſecutio probatur. Nam Saturnus à ſeipſo nõ deſtruitur, ſed à Ioue & Mercurio. Seipſum autem deſtruxiſſet, ſi & Chriſtus. Nam ex Saturni inſtinctu propriam legem Chriſtus euertit, ſecundùm ipſum Cardanum in expoſitione Chriſti genit. circa finem, vbi inquit, *Cumque Saturnus eſſet in nono locò, atque retrogradus, ſignificauit ſtudiũ euertẽdæ legis, in qua natus erat. Nemo autem legem euertit, niſi qui nouam condere vult. Cùm verò illud diuinitùs faceret, naturaliter tamen hoc ſtudium Saturni ſtella declarabat: intẽtumque perpetuo in opere faciebat.* Vbi lector aduertat, nullo modo in Chriſti Natiuitate fuiſſe retrogradum Saturnum. Namque ita, ex Cardano, lingua blæſa fuiſſet Chriſtus. Nam in ipſius Cardani genitura ab ipſo confecta, quæ ſanè pulcherrima eſt, hæc verba perlego. *Nonum vitium eſt lingua blæſa ob Saturnum retrogradum, Mercuriũ licet aſpicientem trigono.* Subdis *Iouem & Mercurium debellat Mars*: Hoc ſanè modo Lex Turcarũ Chriſtianam legem debellaret, quod falſiſſimum eſt, nam tu ipſemet in præfatione ad Chriſti geniturã, fateris noſtram, Turcarũ lege diuturniorẽ. M*artem & Solem debellat Saturnus & Venus.* Iudæi igitur deſtruent Turcicã ſectã.

O acu

O acutum hominem; Martem & Lunam Sol & Iupiter deſtruunt; immò Iupiter & Mercurius: ſub quib⁹ Chriſtiana religio cõſtituta cum ſit ex tua opinione, Gentilium ſectam Marti & Lunæ ſubiectam euertit.

Concludis deinde. *Ob hoc Christiani erigite capita*: imò erigunt,& te diſceptantẽ audiunt in Ptol. lib.2.de Aſtror. iudic. text.54. fol.369.in præfat. ad Chriſti natiuit. *Naturaliter lex noſtra, eſt lex pietatis, iuſtitiæ, fidei, ſimplicitatis, charitatis, optimæq; inſtituta, nullumq; habitura eſt finem, niſi poſt reditum ecclypticarum, in quo fiet nouus ſtatus vniuerſi*, in ſęculi ſcilicet cõſummatione. Euerteturne lex Chriſtiana à Marte, quia complures occidit Martyres? Nequaquam: imò illorum ſanguis Eccleſiæ ſemen eſt, vt ait B. Cyprianus.

De trigonorum fabellis hic non diſputo, nam in Apologia pro Moſayca & Chriſtiana lege, abundè de Aſtrologorum arcanis diſſeruimus.

Schiſma Anglicanum Marti,& Mercurio ex Ariete in Britannia prædominante adſcribis: at falſiſſimũ eſſe deduco ex tua ſententia. Nam in lib. 2. ad Ptol.de Aſtror.iud. tex.12.fol.254. *Inueniuntur*, inquis, *Regiones diſtantes magis ſimiles inter ſe eſſentibus, & moribus quàm propinquæ, veluti Britannia, & Iudæa.*

Ob id

Ob id Britannia & Iudæa quod ſint peruicaces, & truces, atque ſeditioſi. Britanni *Arieti tribuuntur. Iudæi verò quod impij, quod inſidioſi, & audaces, ſimiliter ſub eodem ſigno ſunt atque planeta: ſic vtraque harum regionum ſæpius & contumacius, vt nulla alia, Romanis rebellauit, ac ſæpius ad internecionem conciſa, & vtraque ſimiliter nouos ritus legis, & diuini cultus ſibi inuenit, aliquando quidem in melius, & perſæpè in deterius.* Si ſub eodem Arietis ſigno vtraque prouinciarum conſtituta eſt, Cur cometes in Britãnia non verò in Iudęa futurum ſchiſma antenunciauit? deinde cur vatiniano quaſi odio Angli Iudęos proſequuntur, ita vt in Principes Italos, qui illis domicilia, ſtationeſque concedũt, quotidie, licet immeritò, debacchentur: contra verò cur Iudæis Angli inuiſiſſimi, infenſiſſimique ſunt? Fuit quidam temporibus meis Iudæus in Anglia, vt Chriſti fidem ſuſcipèret, & ab Oxonienſi Academia perhumaniter fuit exceptus, cùm verò ad ſacrum lauacrum deducendus eſſet, aufugit, captus eſt. Rex ex benignitate dimiſit, offendi eum aliquo tempore poſt Lutetiæ Pariſiorum in aula Regia, vbi in ſermone mutuo quem duximus, Anglorum auaritiã mirum in modum ſugillabat, vt tum præ cæteris nationibus vel maximè dediti ſint vni libera-

 litati,

litati, illamque quibuſcumque poſſunt rationibus erga extraneos oſtendant, pręcipuè verò in ipſum Hæbreum, quem per 2. annos magnificis impenſis aluerunt, vt Chriſtianam religionem amplecteretur.

Addis Cardane legum mutationem ſuccedere in Anglia, & in Iudæa: In Anglia quidem veriſſimum eſt: in Iudæa verò minimè. Nam à ſuæ legis primordio ad hodiernum vſque diem Meſſiam ſuum expectant.

Præterea Anglicani ſchiſmatis aliam reddis cauſam in expoſitione geniture Henrici octaui, quæ coniuncta eſt geneſi Eduardi ſexti eius filij, & eſt prima in ordine. De Henrico igitur hoc iudicium profers. *Fuit Venus cum cauda & lampade ſtella naturæ Martis, & Luna in occiduo cardine in Martis dignitatibus. Mars verò in Virgine infelici ſigno, & quadrato Iouis infelicis. Mutauit præterea legem ob hāc cauſam Pōtifici maximo ſuccenſens. Id contigit ob Veneris ſitum, & ea quæ illi adhærere diximus.*

In Lutheri genitura errauit Cardanus, nam diem 22. Octobris anni 1483. illi natalitium facit, cum tamen natus ſit die 10. Nouembris, hora prima ante mediam noctem vt habet Calendarium Eberi, vt refert

refert Tychon Brahe.in lib. de noua ſtella pag.777.qui diuerſiſſimè à Cardano Lutheri genituram exponit. Lutheri imaginē cum eſſemus Argentorati inſpeximus,& Apoſtaſiæ ſignum facilè deprehendiſſet Card. ex Mercurio quem præſe fert in 6. domo: cæterum Venerem habet amicam,hinc gratioſiſſimus apud ſuos extitit. Potuiſſem Cardani doctrinam refellere ex Trithemij ſententia quam habet in tractatu de 7. ſecundeis Argentinæ impreſſo apud Lazarum Zetznerum, ſed quia nullius ingenij ac iudicij, ego ſemper Trithemium exiſtimaui, ex eo probationes deſumere verecundatus ſum.

Sed redeamus ad Pomponatium,hic acutiſſimè exiſtimauit, complures euentus, quos nos miraculoſos dicimus, ex vi imaginatiua prouenire, innititur enim huic axiomati. Vehemens imaginatio facit caſum, vt videre eſt in muliere coëunte, quæ aliquam concipiens imaginem in actu venereo, eidem fœtum aſſimilat, & in prægnante, quæ mala punica,exempli gratia, deſiderans, fœtum malo punico ſtigmatizat, adeóque tenaciter huic demonſtrationi adhæret, vt Diui Franciſci patroni mei apud Deum colendiſſimi ſtigmata ex vehementiſſima Chriſti Domini vulnerum apprehenſione

effici potuiſſe contendat.

Verum fateor me multos annos ea in opinione fuiſſe, vim imaginationis nihil aliud efficere poſſe, quàm Venerem excitare. Maculas autem, quas in hominibus interdum conſpicimus, & ſi omnes matris deſideriis adſcribant, negabam ego, quando & in lapidibus, & in plantis quæ appetitu carent, eaſdem ceraſorum, auium, piſcium, aliarumque rerum effigies inſculptas à natura videamus. Adhæc ſi prægnantis appetitio fœtum afficeret, omnes maculoſi eſſemus, quippe prægnans non eſt, quæ indies inſolitum aliquid non cõcupiſcat: Cùm verò pauci adeò ſint, vt vix è mille vnus ſignatus reperiatur, non debuit pro generali cauſa prægnantis appetitio aſſignari. Cur deinde auiculis, cur herbis, cum vel maximè appetantur, non notamur? Sed ſunt pueruli (inquiunt) qui ceraſi figuram in aliqua corporis parte impreſſam habent, mater verò teſtatur fructum illum ſe exoptaſſe, O acutam reſponſionem! An ne mulier negabit cùm coit, & cùm prægnans eſt, viri ſui honeſtiſſimos amplexus ſe appetere, cur igitur femellæ quam genuit, & quam geſtat in vtero, quod ipſa è viro vehementer appetit, non effingit? Sed muliebre hoc teſtimonium aliter

eluda.

eludamus, nulla ipſarum eſt, quæ dum infans *in vtero* eſt, ſciat prædicere, an, & quibus maculis infantem ſignabit, cùm tamen certò ſciat quæ ſummopere exoptarit, ſed cum naſcitur infans, & aliqua re ſignatus à matre conſpicitur, tunc illa, hunc ego fructum deſideraui, cùm tamen infinitos alios concupierit, & fortaſſè illum non appetiit, ſed hanc aſſignat rationem, quia ob omnibus vera acclamatur.

Chimici nullo negotio quæſtionem abſoluerent ex Anaxagoræ ſententia: *omnia in omnibus*: ſed reuera Anaxagoras nunquam in ea fuit opinione, vbique omnem eſſe ſubſtantiam, ſicut Alchimiſtæ, nunquam putaſſet ille in acu Balenam ineſſe. Sed aiebat nullam imponi formam nouam, quia commiſtæ eſſent omnes, ita artificem putà ſculptorem ablatione ſuperfluæ materiæ formam detegere potius quàm falo imponere ſe dicet, ſuberat enim.

Aſtronomi ad aſtra id referunt, ſanè ſi piſcis ſignaculum in homine inſignitum videmus, facillimè dicunt, Solem tunc fuiſſe in piſcibus. Mirùm tamen eſt cum quolibet anno Sol ſit in ſigno piſcis per 30. dies, cur rariſſimi, & ferè nulli reperiantur qui piſcis effigiem in aliqua corporis parte ſignatam

ferant? ſed cui aſtro ceraſi formationem adſcribent?

Sed concedamus Pomponatio permagnas eſſe imaginationis vires. Romana tamẽ Eccleſia, quæ lima eſt veritatis, in miraculorum numerum non recipit quod imaginatiuæ vi effici poteſt, ſed id ſolùm quod omnes naturæ vires excedit. D. Franciſci ſtigmata etſi nõ ſint de fide (nullum enim de iis extat Eccleſiæ decretum tanquã de fide) quia tamen in matutinis diuinæ lyturgiæ prælectionibus ſtigmatum aliqua fit mentio, Ego Catholicæ Matris Eccleſiæ filius, in Apologia pro Trident. Cõcilio in Decreto de ſanctorum inuocatione ſcripſi aduerſus Lutherum, exiſtimantem B. Franciſcum ex vehementi erga Chriſtum amore propriis manibus ſeipſum ferro ſtigmatizaſſe. Quod à veritate alienum eſt, quandoquidem mortem ſibi conſciuiſſet, vel illius ſaltem manifeſto periculo ob inanem finẽ ſe expoſuiſſet, quod de Seraphico viro præſumendum non eſt, nec ab ipſo Luthero qui 7. in locis, vt adnotaui, præcipuè in lib. de capt. Babil. c. de Euchariſt. confitetur Franciſcum fuiſſe virum ſanctiſſimum, & nunc in cœlis cum Chriſto regnare: multominùs ex imaginatiua formata ſunt in eo ſtigmata, vehementiſſimus

namque fuit, ardentiſſimuſque ſemper in Chriſti meditatione. Cur igitur per tot annos eadem ante imaginatiua conſimilia ei non impreſſit vulnera? Cur item non cernimus eadem in auguſtiſſima Deipara? quæ filium ſuum in cruce confoſſum aſpexit, quæque vehementiore affectu vt Mater diuina erga Deum filium ferebatur.

Pomponatij argumentum de muliere prægnante ad Franciſcum nullo modo concludit, cum diuerſiſſima ſit in vtriſque ratio. In prægnante quidem illud fit, quod illa in ore ſaliuam producit exoptati fructus ſaporem per omnia redolentem. Saliua igitur veluti ſemen eſt concupiti fructus, non igitur mirum ſi deglutita fructum, cuius eadem ſemen eſt, producat. Hinc in mentem venit Dominam Beatricem Lopez de Noguera matrem meam dilectiſſimam narraſſe mihi puerulo, quamplurimis exoptatis æſtiuis fructibus hyberno tempore ſe caruiſſe, dum me geſtaret in vtero, nullis tamen ſignaſſe, quia ſaliuam illam tunc temporis expuiſſet in terram. Cur eius ſaporis ſaliua fiat, hic non diſputo, cùm luculentiſſimè ac ſubtiliſſimè id præſtiterim in phiſico-magico. Franciſcus verò nequiuit Chriſti vulnerũ ſaporem

(nullum enim habent) redolentem ſaliuam congenerare, nec congenerata tamen potuiſſet ſtigmatum fructus illos tanquam ſemen quoddam producere in tam ſeiunctis corporis partibus, vtpotè pectore, manibus, & pedibus : quare ſi Eccleſia declarat vera fuiſſe Franciſci ſtigmata, ſupernaturali cauſæ quin adſcribenda ſint nullatenus dubito. Aliqui molles Athei in dubium vocare miraculorum certitudinem non verentur, quia nullum vnquam viderint, immò & maiores natu interrogarint, an de aliquo miraculo teſtimonium certum proferre poſſint: illi verò auritos, non oculatos teſtes eſſe ſe reſponderint. De viſu deponunt aniculæ, & de quibuſdam leuiſſimis, quæ transferri ad naturalem cauſam commodè poſſunt. At quid blaterant pecudum illi ſimiles potiùs quam hominum, cùm nullus à ſacroſancta Catholica Eccleſia ſanctus declaretur, niſi complures teſtes omni exceptione maiores de quãplurimis verè miraculis ab eodem patratis infallibili teſtimonio deponant. Vidi ego ſanè opus non ſine maximo miraculo, cæcum nimirum à B. Virgine illuminatum. Illud hic mihi liceat adſcribere. In Apulia, quæ olim magna Græcia dicebatur, ſitum eſt oppidum Præſicium nomine, non longo

à pa

à patria noſtra diſiunctum interuallo, in illius oppidi ſuburbio inuenta eſt Deiparæ imago, quæ honorificentiſſimè, integerrimè, religioſiſſiméque ab omnibus debito more colebatur, inaudiuit illud idem cœcus quidam ab ipſo ortus ſui die, & duce puerulo, aut canicula, ad ſacellum Virginis feſtinauit, de geniculis adorauit, fuſis precibus obdormiuit, & tandem è ſomno experrectus illuminatum ſe agnouit, ſurgens autem claudum ſe effectum eſſe aduertit: Quod exemplum cùm Germaniam peragrarem, Atheo homini obieci, qui meum teſtimonium non reiiciens, vt miraculum nullum eſſe oſtenderet, duas ſubtiliſſimas excogitauit reſponſiones, Quarum prima fuit hæc, contigiſſe illud ex influxu aſtri ſacello eidem prædominantis, probareque hoc modo conatus eſt, Sanctorum imagines vno aliquando die decem miracula edent, interdum verò decem in annis vix vnum, quod non niſi ex àſtrorum diſpoſitione, influxuque prouenire poteſt. Præterea vno in loco miraculis clarēt, ſi aliò transferātur, aut omnino nullis, aut certè non tam crebris. Virtus igitur miraculorum loco alligata eſt, & per conſequens à Sydereis influxibus dependeat neceſſe eſt. At futilis illa & anilis

ſus eſt reſponſio, quandoquidem ab orbe condito locus ille aſtris propoſitus, ſubiectuſque fuit, cur igitur nulla ante hæc tempora miracula vel viſa, vel audita ſunt? quæſiuit à me Atheus, cui ſyderum concurſui imaginem ſubiectam putarem, ignorare me confeſſus ſum libens, hoc vnum noui Prouinciam noſtram Leoni ſubiacere & Soli, hinc infert Ptol. in lib. 2. de Aſtror. iudic. tex. 16. incolas præſtantiæ, benignitati, amicitiæque ſtudere.

Altera reſponſio erat, cœcum hunc ex vehementi imaginatiua voti compotem factum eſſe, probabat à ſimili. Memoriæ traditum accepimus, Regis cuiuſdam filium à natiuitate mutum, loquelam accepiſſe ex nimio, patri hoſtiles gladios fugienti, deſiderio ſuccurrendi: ſubriſi equidem, quid rides? ille. Ego, nonne te Aſtrologum pudet virtuti imaginatiuæ id tribuere, quod in aſtra commodiùs poteras retuliſſe, vt innuit Ptolom. in lib. 3. de Aſtror. iudic. text.
„ 53. qui ſic incipit, impedita lingua ſunt &
„ blæſa, ac balbutiente, quotquot Saturnum
„ & Mercurium habent in prædicti angulis
„ congredientes cum Sole. Maximè verò
„ quando & Mercurius occidentalis eſt, &
„ ambo cum Luna configurantur. His verò

fortè

forte adiunctus Mars, ſoluere plerumque "
ſolet *linguæ* inuolutionem, poſteaquam "
Luna illi obuia fit; Qui textus hęreticos ad "
Aſtrologicam fidem deducere poſſet, inquit Cardanus in illius expoſitione.

Sed fateamur mutum ex vi imaginatiua locutum eſſe, nego tamen idem fieri poſſe in cœco, Nam ille nihil noui effinxit, ſed linguæ duntaxat vinculũ ſoluit, quod vehemẽs imaginatio in nõ valdè læſis (vt teſte Pomponatio hic Regis filius erat) efficere poteſt: in cœci verò illuminatione de maiori agitur negotio, vtpotè de formatione oculorum cum ſuis membranulis. Obiiciebat ille, illuminatus claudus euaſit, non igitur ex miraculo quodã diuino adeptus eſt lucem: quippè Deus non abſoluere & punire ſimul conſueuit. Naturæ igitur opus fuit, cœcus enim quidquid virium habebat, ad imaginatiuã pertraxit, quibus vſa natura, humanæ voluntatis ancilla, nobiliſſimum opus, nempè oculos efformauit, viliorem corporis partem deſpiciens, vtpotè pedes, cui deſpicientiæ nõ refragatum eſt cœlum, patiens enim ſub Luna cõſtitutus facilè erat, hæc autem cùm in nodis ſeu flexuris eſt, aut in ſignis obnoxiis nimirum Ariete, Tauro, Cancro, Scorpio & Capricorno, claudicationes gignit ex

Ptol.

Ptol. lib. 3. de Aſtror. Iud. tit. 58.

Reſpondi ego in hunc modum, in claudicatione Dei opus deprehendunt in ſcholà Spiritus educati. Simile enim quid legimus Gen. 32. de Iacobo victoriam ab Angelo reportante ſimul & claudicationem. Addidi inſuper huius miſeri hominis imaginatiuam nihil præclari efficere potuiſſe, vtpote quia debilis erat. nam præcedenti die, vt audiiſſe me memini, in pane, & aqua ieiunarat, ieiunantium autem imaginatiua nullum poteſt præſtare ſingulare opus, vt in Phyſicomagico docuimus.

At ſubiunxit hic Atheus: finxit ille ſe claudum cùm tamen nõ eſſet, quia cæcus aſſuetus erat mendicare (mendicantium autem vita omnium iucundiſſima eſt) iam verò ab Aſtris lumen adeptus, fodere cogebatur, & in ſudore vultus mãducare panem. Conducibilius palato ſuo duxit deuota cantiuncula optima fercula à mulierculis extorquere, earumque conſortio perfrui, miraculum apud illas ſcilicet enarrando, deprędicandoque: At nugæ illæ mihi faceſſant tandem, quod ſi enim effigiem illius etiamnum calleo, in illius ortu Solem in Libra fuiſſe facilè erat diuinare ex fronte & Capillis, ex Veneris quoque Sydere aliquid traxiſſe æreus faciei

ciei color pręſignificabat,quinimmo Venus ſuam in Libra domũ habet. non ergo fraudulentus fuit ex Aſtronomorum regulis.

Sed valeant iterum abeantque Aſtronomorum fabulæ & deliria, quæ deteſtari me prorſus execrarique profiteor, in medium tamen adduxi, vt inertia præceptorum ineptiaque pateficeret. Nec illa mihi diſceptatio vitio facilè vertetur, quando & SS. Patres Arrianorum blaſphemias in Dei filium recitant paſſim,& retundunt. Et illuſtriſſimus Bellarminus in ſuis operib. refert bacchantium hæreticorum furores in Chriſti Sacramenta,eiuſque Vicariũ Romanum Pontificem.Hęreticorum verò blaſphemiæ,quæ ab ipſo adducuntur & refelluntur,minorem in ſe haud continent impietatem,quàm ea,quę nos ex Aſtrologis in medium produximus, & reiecimus. Nec inde mihi fraudis aliquid criminiſve affingetur,ſi in Athcorum Libris euoluendis aliquãtum temporis me cõſumpſiſſe quiſpiã ſuſpicetur. Nam Lutetiæ cùm eſſem, & Apologiam pro Tridẽtino Concilio conſcribendam ſuſcepiſſem, ab Illuſtriſſimo Reuerẽdiſſimoq; Domino Roberto Vbaldino Epiſcopo Politiano, ad Chriſtianiſſimum Regem Apoſtolicæ Sedis Nuncio ampliſſimo quoſuis Libros peruolutandi facultatem

cultatem impetraui : ſed aduerſus veteres Philoſophos exercere nos incipiamus.

EXERCITATIO IX.

Diagoræ Athæi Sententiam explicat.

DIagoras Mileſius inter veteres Philoſophos vel vnus nominatim Atheus omnium ore, & vnanimi conſenſu proclamatus eſt, nec iniuriâ quidem, quãdo neſcio qua ſtulta, & anili prorſus perſuaſione infectus, perfricta fronte Diuinam prouidentiam inficiari, atque ita teſte Cic. in lib. de Nat. Deor. ratiocinari auſus eſt: Si Diuina prouidẽtia orbis regeretur, Cuncta pro meritis vnicuiq; hominum, bonis ſc. bona, malis mala, æqua quaſi quadam bilance trutinata diſtribuerentur. Sed cùm longè ſecus omnia gerantur, Dei prouidentia circa hæc inferiora, cur, aut quænam ſit videre nullo modo poſsũ. Maior ſatis liquet, Nã ad Principis prouidentiam vel hoc in primis ſpectat improborum petulantiam, nefarioſque conatus ſuppliciis coërcere, proborum autem virtutem, & promerita benefactis compenſare: Minorem veram eſſe vſus quotidianus teſtis certiſſimus perhibet, quippè eos, qui iuxta diuinæ Legis normã,& perpẽdiculum omnes vitæ ſuæ conformant rationes, nec

vnquam

vnquam recti, æquique tranſiliunt lineas, innumeris videmus quotidie hoſtiũ telis proponi, appeti inſidiis, proditionibus circumueniri, irretiri difficultatibus, innumeris aduerſitatibus conflictari. Contra verò eos, qui flagitiis, & facinoribus cooperti, diuina & humana omnia promiſcuè habent, nullis aduerſæ fortunæ iaculis appeti, nullis calamitatibus opprimi. ſed in omni rerũ copia, in deliciis ex animi ſui ſententia tranquillam ætatem agere: Pompeio contra ius faſque omnia miſcenti proſpera omnia, Reipubl. cauſam defenſanti omnia aduerſa, omnia contraria cecidere. Dionyſ. Tyrannus cum locris Proſerpinæ fanum expilaſſet, Syracuſas nauigauit, cúmq; ſecundiſſimis ventis; veliſq; ad optatũ portum appuliſſet, videtis, inquit, quàm proſpera etiã Sacrilego à Diis immortalibus nauigatio concedatur. Ac ne per longos anfractus argumenta quæramus, cũ compendia præſtò ſint, ipſe Diagoras cũ in Samotraciam nauigio iret, ipsique nautæ aduerſa tẽpeſtate infeſtati inclamarent, non iniuria ſeſe talibus procellis iactari, qui Diagorã naui ſua excepiſſent, Illudens ille ipſorum obiurgationi, multas alias naues oſtendit eodem periculo laborantes, rogauitque ſimul num in totidem aliis nauibus Diagoram

ram vehi putarent:hoc ipſo innuens cuncta fortuito ſine perſonarũ diſcrimine, Diuinæq; prouidẽtię diſpoſitione euenire:Cui cũ quidam obiiceret pictas votorũ tabulas, inquiẽs, tu qui humana Diis curæ non eſſe diſputas, nonne aduertis ex tot tabellis pictis, quàm multi cõceptis votis temperaſtis diſcrimen, & inclementiam effugerint, ſaluique & incolumes peruenerint in portum, hoc ab illo reſponſi tulit. Ita ſit, illi enim nunquam picti ſunt qui naufragio facto in Mari perierunt.

EXERCITATIO X.

Diagoræ argumento ſoluendo varias adducit rationes.

STOïci Philoſophi Argumento huic reſpondent negando minorem propoſitionem, exiſtimant enim bonos in vita præmiis munerari, improbos ſuppliciis affici, virtus enim eſt præmium ſui, vitium verò ſui ſupplicium. Primum ita probat Boethius in 2. lib. conſol. Phil. Rerum quæ geruntur illud propter quod vnaquæque res geritur, eiuſdem rei præmium eſt, vti currenti in ſtadio, propter quam curritur, præmium præfixum, corona eſt; cumque omnis agẽs Beatitudi

titudinis conſecutionem intendat, beatitudo erit præmium actionis. Sed beatitudo nil niſi bonum eſt, bonum autem conſequuntur boni eo ipſo quod boni ſunt, boni igitur præmiis afficiuntur. At hoc Stoicorum placitum à veritate alienum exiſtimo, Nullum enim agens in actionis ſuæ pulchritudine cõquieſcit, ſed ad maius aliquid ſemper anhelat. Animalia non propter ipſum motum ſeſe mouent, ſed vt per motum aliquid ſibi boni conquirant, artifices: nõ modo artis ſuæ functiones, ſed & finem ſpectãt. Quemadmodum ipſimet Stoici virtutis actiones non ad virtutem, ſed ad gloriã virtutis præmium referebant, quod ita probat Cic. in orat. pro Arch. Poët. *Trahimur omnes laudis ſtudio & optimus quiſque maximè gloria ducitur. Illi ipſi Philoſophi* (Stoici nimirum) *etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt: in quo prædicationem, & nobilitatem deſpiciunt, prædicari ſe ac nominari volunt*: Boethiana ratio falſum aſſumit principium, Iuſtorum bonitatem probitatemque beatitudinem eſſe. Hæc enim non bonum eſt, ſed ſummum bonum, imò ſumma bonitas. Cùm igitur nulli vnquam ad eam ſe conſcendiſſe perfectionem gloriari poſſint, vt optimi, & ſummè probi

F ſint

ſint,nec meliores effici queant, Beatitudinem quæ ſummum bonum eſt, nunquam in hac vita perfectè conſequi ſe poſſe fateantur neceſſe eſt.

Probat deinde Boethius, vitium eſſe pœnam ſui,nam malitia eſt carentia bonitatis, & entitatis igitur, quippe ex Ariſt: Ens, & bonum conuertuntur: At ſumma pœna eſt priuari Ente, pariter ergo & bonitate. Sed abſurdum Axioma Stoicum probãdum aſſumit Boeth.non igitur mirum, ſi probatione eiuſdem deficiat. Ipſi Stoici enim corporali pœna reos affligebãt, quod à virtute Iuſtitiæ, cui vel maximè ſtudere ipſi videri volebant,erat alieniſſimum,ſi propria illi malitia puniebantur. Entis priuatio vel pœna eſt longè grauiſſima, Bonitatis carentia verò nulla videtur Atheis pœna, Ens autem conuertitur cum bono phyſico,non morali. Alij ex noſtratibus exiſtimant minorem propoſitionem non eſſe abſolutè veram, quia vt plurimum facinoroſi,perditique Ganeones, in hoc ſæculo vel à Deo ſcelerum iuſtiſſimo vindice, vel à Iudicibus Dei miniſtris meritis mulctantur pœnis,Nam vt ait Apoſtolus, *Omnis poteſtas à Deo eſt, Non ſine cauſa gladium geſtat,miniſter enim Dei eſt ad Iuſtitiam.* Ab his autem Scelerati ad carceres, ad latomias, ad

ad triremes, ad cruces condemnantur. In ſacro etiam Codice pœnas à Deo impiis inflictas legimus. In Geneſi. 3.6.19. Exod. 5.7.8.9. 16.17. Leuit. 24. Num. 10.11.20.21.26. Ioſué 6.10. Iudicum 3.4.6.10.14.15.16.1. Reg. 4. 5.6.13.15.2. Regum. 11.12.24. 3. Reg. 11.12. 20.4. Reg. 19.2. Paral. 13.14.20.32. Iudith. 6. 13. Daniel. 3.4. 5. 2. Maccab. 3.9. 15. & aliis ſexcentis in locis.

Sacroſancta ſanè reſponſio: at nullo negotio ab Atheis repellitur, qui eam Sacræ Scripturæ præſtāt fidem, quam vel ego Æſopicis fabellis, aut muliercularum inſomniis, aut Alcorano-Turcicis ſuperſtitionibus. Negant pariter Athei puniri homines ob ſcelera, quis enim ſupplicium effugiat, cum ſine crimine viuat nemo? Sed aduerſis natalitiis Syderibus eo deſtinari aſſeuerant. *In carceribus*, inquit Ptol. lib. 4. de Aſtror. iud. tex. 71. *Finient vitam qui Saturnum habuerint in occaſu vtriuis luminarium oppoſitum. Violenta verò*, inquit in tex. 69. *atque cōſpicua morte interibimus, ſi aut vterque maleficus imperat interemptorio loco, aut per congreſſum, aut per radios quadrangulos oppoſitoſve, Aut alteruter eorum ambove Solem, aut Lunam, aut vtrumque luminare maleficio affecerint, vbi mortis quidem atrocitatem ab eorum congreſſu conſtitui putabimus.* Quare Cardanus

 in

in illius text. expoſitione violẽtæ mortis differentiis recitatis, ſubdit: *Miſerorum hæc ſunt ſupplicia fortunæ potiùs, quàm ſceleri adſcribenda. Nam ſi ad ſcelera reſpicias multi ſunt Principes, quibus, ſi iure æquo res ageretur, nulli pali, nullæ rotæ, nulli ignes ad expianda eorum flagitia ſufficerent, cùm tamen ne minima quidem afficiantur pœna.*

Theologi aliter argumento Diagoræ reſpondere ſolent, Dei ſcilicet prouidentiam ad futuram vitam cuncta dirigere, adeóque pœnas, & præmia redditum iri vnicuique prout geſſerit in ſuo corpore. Fateor quidem ipſiſſimam eſſe veritatem, quando ſic Euangelicæ teſtantur promiſſiones, veruntamen Atheos conuincere nõ videtur, quippè qui ex Ciceronis Diſciplina inferorum pœnas tãquam vetularum deliria reiiciunt, contemnunt, deſpicantur: dicuntq; ex Diodori Siculi Sententia in principio ſuæ hiſtoriæ ab Ægyptiorum ſuperſtitione in aſſeruandis mortuorum corporibus exortas, frequẽtatas verò, ex Cardan. in lib. de rerũ var. apud Cretenſes, qui Plutonẽ Saturni filium inferorum Deũ conſecrare non dubitarunt, quod ritus aliquos, & cærimonias funebres excogitaſſet. Craſſiſſima verò illa mendacia ſunt, attamen quia naturali ratione non poſ-

ſumus demonſtrare in altera vita pœnarum locum proprium aſſignari, multò minus verò Dæmones dari niſi & Dæmoniſſas concedamus, vt ita loquar, quemadmodũ ſentit Cardanus in fine libri de rer. var. & etiam in lib. de ſubtil. quapropter alia nobis vtendum refutatione. Sit igitur

EXERCITATIO XI.

Quæ ex mente Autoris reſpondeat Diagoræ.

FAcilè poſſum negare maiorem argumenti propoſitionẽ vniuerſaliter veram eſſe, in politicæ enim Diſciplinæ tabulis ſcriptum eſt, Non debere Regem in ſceleratos vindicare, cum toto Regno ſcelerum lues perbacchetur, fore namque vt non longa temporis interpoſita mora vel omnes ab ipſo ſubditi deſciſcant, transfugæque fiant, vel regnum ſuum omninò continuis ſuppliciis exhauriat. Quare cùm non iuſtificetur in conſpectu Dei omni viuens, ſi pro meritis flagitia plecteret, breui quidem tẽpore mundus exinaniretur. Aſſero verò propoſitionem illam de mulctãdis reis, neceſſariò concludere quoad Principem terreſtrem, qui à rebellibus oppugnari, affligi, lædique poteſt: Quoad Deum autem nullo modo, qui, vt

Cardano aliqua in re adſtipuler, non punit in hoc ſæculo peccatores quòd ab illis non lædatur, *Cùm enim ſit* (inquit ille in lib. de rer.var. c.93.) *mens, vim habet per totum diffuſam, & velut animus non vlciſcitur partes corporis, quia nec ab eis læditur, nec illarum priuatur imperio. Sunt enim ſuæ. Ita & Deus* Hanc tamen Hieronymi Cardani ſententiam non tanquam omni exceptione maiorem propugno, nec inuitus reuocabo, vbi Romanam Eccleſiam ſecus decreuiſſe cognouero.

Negemus potius minorẽ propoſitionem. Siquidẽ Deus ſummas in hoc ſæculo etiam fœlicitates bonis affundit, Tribulationes nimirũ: expetunt enim illas ſi boni ſunt: quid autem rei exoptatæ poſſeſſione fœlicius excogitari poteſt atque iucundius? Sanè Thales Mileſius percunctãti quid eſſet dulciſſimum? potiri reſpondet. Impij verò in hac vita à Deo puniuntur ipſis voluptatum additamẽtis, quibus delicatiſſimus redditur ipſorum ſenſus, quare minimis deinde calamitatibus (quorum nullus in hac vita expers eſt) proſternuntur: hinc facilè colligere eſt per exiguam illorum eſſe fœlicitatem, qui vel minima aduerſitate exanimentur.

Nec obſtant exempla in contrarium adducta in initio diſputationis, Pompeio patriam

triam tuenti res infeliciter ceſſit, aduerſus eandem pugnãti omnia proſpera, omnia ſecũda fuere. Cato Vticenſis cum idem altiori cogitatione depingeret, exclamare non eſt veritus. O inuolucra, ô integumenta, ô tenebras, quibus diuinæ res obſeptæ circumuolutæq; ſunt, multũ ſanè caliginis in rebus diuinis eſt. Quę vox & mihi Chriſtiano viro non abſona fuerit, quando Dauid in Spiritu Sancto conſtitutus de Deo inquit, *Nubes & caligo in circuitu eius*. Dionyſius Locris Proſerpinæ templum compilarat, claſſis tamen illius ſecundis poſtmodum nauigabat vẽtis: non inconſulta (Reſpondeo) Dei prouidentia, quippè honeſtiſſimo, præclariſſimoque facinore præmij hoc à Deo commeruerat, falſam namq; Deam honore indebito exuerat. Inſtabit fortè aliquis Exemplo Pyrrhi Epyrotarũ Regis, qui cum ex eiuſdem Proſerpinæ Locrenſis theſauro ingentes pecunias ſuſtuliſſet, naufragij poſtmodum mulctatus eſt calamitate, vt ex vetuſtis ſcriptoribus refert Lact. lib. 2. c. 8. Reſpondeo ex peruulgata Iuris regula, volũtatem, ac propoſitum diſtinguere maleficia. Quare naufragium iure merito Pyrrhus fecit, quoniam contra propriæ conſcientiæ dictamen, ſuggeſtionẽque, qua aliquid Proſerpinæ ineſſe

diuinitatis credebat, theſaurum eiuſdem diripuerat, compilaratque. Dionyſio autem ex animi ſententia nauigatio ſuccedebat, quia bonorum Eccleſiaſticorum, bonę fidei, ac iuſti tituli eſſe ſe poſſeſſorem arbitrabatur, ex quatuor rationibus, quas ex totidem eius geſtis deprehendere licet. Menſas enim aureas atque æreas Diis dicatas è fanis aliquãdo ſuſtulit. Has inſculpta ex more Græcorum Epigraphe teſtabatur eſſe bonorum Deorum, ne quis manum admoliretur: At ille reſpondit, ſe Deorum bonitate vti, bonos enim Deos dici, quod omnibus benefaciant. Idem victorias aureas, pateras, & coronas, quas Simulacra porrectis manibus tenentia velut offerebant, abſtulit, dicens ſe oblata accipere, non eripere, addens perabſurdum eſſe, à quibus quotidie bona efflagitemus, ab iis etiam vltro porrigentibus nolle accipere. Ioui Olympico detraxit idem magni ponderis aureum amiculum, quo eum Hieron ex manubiis Carthaginẽſium ornauerat, proque aureo detracto laneum ei iniecit pallium, inquiens, aureum amiculum eſſe æſtate grauius, hyeme verò frigidius, laneum ad vtramque anni tempeſtatem accommodatius. Epidauri Æſculapio barbam auream detraxit, quod decorum ipſi

non

non videretur, Patrem Apollinem imberbem, Æſculapium verò filium barbatum conſpici.

Ac per nos quidem Dionyſius etiam Gentilis in Idolorū ſuorum Statuas, & Simulacra hanc ſibi licentiam vſurpet: Chriſtianis verò ad Chriſti & Sanctorum, quos repræſentant Imagines hūc in modum compilandas hoc Dioniſ. exemplo nequaquam feneſtram aperimus, ſed ſacræ paginæ edicti ſacroſancti tenore, & iuxta Romanæ Eccleſiæ Mandatum velimus interdictum.

Diagoras decumanis in medio Mari fluctibus agitatur, & iuſta Atheo pœna imminet: verùm & aliæ naues periclitantur.

Reſpondeo, quis negauerit in aliis pariter nauibus fortaſſis Diagoræ fuiſſe perſimiles? vel fortè moraliter boni erāt, & ſic ipſorum fortitudinem, animique exaggerationem Deus periclitabatur. Perinſulſa autem eſt Diagoræ ratio, non omnes qui Deum inuocant à periculis liberari, adeóque Dei prouidentiam nullam eſſe. Quinimò vel ex hoc maximè Diuinæ Prouidētiæ accuratio ſumma eluceſcit. Prouidum namque Principem eum dixerim, non qui quibuſlibet ſibi ſubjectis libellis ſubſcribit, ſed qui iuſtis duntaxat & æquis ſuffragatur petitionibus.

EXERCITATIO XII.

Protagoræ opinionem explicat & rationes.

PRotagoras Abderita Dei prouidētiam negare nō eſt auſus, quod bona quamplurima in hiſce inferioribus conſpiceret, quæ ſanè à Summo aliquo bono dependere neceſſariò exiſtimauit, quandoquidem in ſeipſis talia non ſunt, nam de nouo acquirunt, & acquiſita amittunt. Cum autem malis, atque ſceleribus repletum vndique orbem circumſpiceret, Deum Deique Prouidentiam confiteri dubitauit, quare dicere conſueuerat: *Si Deus non eſt, vnde igitur bona? Si autem eſt, vnde mala?* Cæteræ authoris huius rationes nobis perſpectæ non ſunt, quod libri illius in foro exuſti fuerint, quia impiis referti eſſent dogmatibus, ne quis noui exempli rem arbitretur, libros hæreticorum modo concremari. Arenoſo tamen illo Protagoræo fundamento freti moderni Athei argumentorum molem ſuperextruxerunt vaſtiſſimam, quorum hæc ſunt præcipua.

1 Vel Deus cognoſcit hominum peccata, vel non: Si cognoſcit igitur efficit, Scientia namque Dei cauſat res: Si non cognoſcit, Ergo mundi temperationem non curat, hæc enim

enim abſque cognitione eſſe non poteſt.

2 Cùm in vniuerſo tot, tantaque graſſentur ſcelera, quæ Deus neque expellit, neque medelam parat, aſſerendum eſt, Deum hæc inferiora vel negligere omninò, vel curare, ſed medelam malis, vitiiſque adhibere non poſſe, quare erit impotens, & per cõſequens non Deus. Vel nolle mederi, & ſic peccati autor dicetur, Si quis enim, vt ſacra nos docet pagina, errantem viderit, & ab errore eripere poteſt, neque tamen eripit, homicida eſt.

3 Vel Deus vult peccata, vel non: ſi vult ergo facit, dicente ſcriptura, *omnia quæcumque voluit fecit:* Si non vult, eo igitur inuito committuntur: improuidus igitur vel impotens nuncupandus, cùm ſit neſcius, vel efficere non poſſit quo-minus ſuæ rebelletur voluntati, vel erit impius, cùm nolit ſcelera, & tamen ab eis homines non præmuniat.

4 Deus & Natura de poſſibilibus ſemper efficiunt quod eſt melius, vt dicit Ariſt. in 1. de partibus, in lib. de greſſib. animal. & alibi: At poſſibile, & melius eſt nulla patrari ſcelera, deberet igitur Deus id præſtare, ſed non præſtat, Eſt igitur inuidus, & improuidus.

5 Qui cauſam damni dat damnum feciſſe videtur vulgata lege Qui occiderit, §. in

hac

hac ad leg. Aquil. & l. nihil intereſt ad leg. Cornel. de Sicar. At Deus dat cauſam peccati, ipſius igitur autor, & effector iure propè ſuo dicetur.

Vltimum, vel Deus peccatis mederi deſiderat, vel non: poſterioris conceſſione Athei ſuam confirmant opinionem: prioris verò affirmatione peccati origo Deo adſcribitur. quod ita probant. Non poteſt Deus errantium curam gerere, niſi miſericordiam velit, & pœnitentiam, ſed ſi iſta cupit, neceſſariò & peccata. Ergo ſi Deus eſt prouidus, peccati author eſt, Minor probatur. Finis deſiderari non poteſt abſque mediis ad eundem aſſequendum neceſſariis, ſed peccata media ſunt neceſſaria ad miſericordiæ finē, & pœnitentiæ, miſeretur enim eorum Deus quos errorum pœnitet: Ergo ſi Deus pro fine intendit miſericordiam, & pœnitentiam, conſimiliter & peccata, quæ ſunt media ad illarum virtutum exercitationem. Confirmatur exemplo Martyrij, quod Deo perplacet, dicente Spiritu ſancto per os Dauidis: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius:* Martyrium autem abſque ſæuitia Tyrannorum eſſe non poteſt. Ergo & ipſa Tyrannica impietas Deo grata eſt in ordine ad martyrium.

EXERCITATIO XIII.

Aduerſus Protagoram probat Deum non eſſe autorem peccati.

IMpios atque ſacrilegos hos Atheorũ tumultus, & fremitus nihili facientes Chriſtianorum animi in ſchola ſpiritus enutriti, aſſerunt orbem à Deo regi & temperari, ſcelerum tamen & vitiorum authorem Deum non agnoſcunt.

Prima concluſionis pars non indiget noſtra probatione, Genuina Protagoræ confeſſio ſufficit, *Si Deus*, inquit, *non eſt, vnde igitur bona?*

Secunda verò pars probatur ex multis.

Primo, Secundùm Protagoram bona omnia à Deo emanãt, nulla igitur mala. Conſequentia probatur: quia cum hæc duo ex diametro ſibi opponantur, diuerſum agnoſcant authorem neceſſe eſt: quare aſſérere bona, & mala à Deo prouenire, non minùs abſurdum duco, quàm dicere dulce, & amarum ex eodem fonte profluere.

Secundo, Deus eſt ſummum Ens, & bonum igitur, quippè ex Ariſtot. hæc duo conuertuntur, à ſummo autem bono non prouenit malum, nec enim id habet, ſi ſummum bonum

bonum eſt. At vulgata iuris regula eſt. Nemo dat quod non habet. l.nemo plus iuris. ff. de reg.iuris.

Tertiò, malum eſt non ens, à Deo igitur ſummo ente non dependet, non enti enim cum vero ente nulla coniunctio.

Quartò, malum dicetur de Deo, (vt nunc loquuntur Theologi recentiores) vel participatiuè, vel eſſentialiter, neutro modo; nullo igitur. Minor probatur, quia nihil participatiuè dici poteſt de Deo, nam ipſe eſt ſuum eſſe, & quæ per eſſentiam dicuntur nihil prȩter ſe habent admixtum: multominus eſſentialiter, cùm malum alicuius eſſentia non ſit, quoniam ita deficeret eſſe.

Quintò, imperfectum eſt aliquid ſecundum quid in actu, Ergo per locum ab oppoſitis malum eſt quid deficiens ab actu, quare malum vel eſt priuatio, vel priuationem includit, priuationis autem ſubiectum potentia eſt, Atqui in Deo actu puriſſimo nulla eſt potentia, nec malitia igitur.

Vltimò, ex probatis malorum Deus non eſt cauſa efficiens, neque conſeruatiua, quia malum cùm ſit priuatio, Deum conſeruantem haud exigit, multominus eſt cauſa finalis, cùm defectus non ordinetur ad Deum, quin imò nec habet finem per ſe, ſed per accidens.

EXERCITATIO XIIII.

Qua Protagoræ rationi reſpõdetur, nec non primo Sectariorum argumento.

SI Deus eſt, vnde mala? quærit Protagoras, à noſtra reſpondeo libera voluntate.

Primo Sectariorum argumento, Si Deus noſtri eſt prouidus, cognoſcit peccata, facit igitur Reſpondet Boethius de conſol. Phil. libr. vlt. capit. vlt. negando conſequentiam. Probationem autem (ſcientia Dei cauſat res) exiſtimat eſſe falſam; nam, inquit, ſicuti videns aliquem moueri ad locũ, de motione certus, nihil tamẽ efficit, neque ab ipſo eunte patitur. Ita Deus non efficit futurum, & ſi illud cognoſcat: conſentit & Alexander, qui in libr. de Fato capit. 16. reſcribit, aliud eſſe prænoſcere, aliud facere.

Sed ne à reſpondendi labore ſubducere nos velle videamur, veriſſimũ dicimus hoc axioma, Scientia Dei cauſat res, & rationibus comprobamus. Nam quod Deus alia à ſe cognoſcat, percipi à noſtro intellectu nullatenus poteſt, niſi quia Deus efficiat, quare cognoſcẽdo ſeipſum eſſe cauſam, cognoſcit effectus, hi namque in cauſa relucent, vel

Deus

Deus cognoſcit alia à ſe,quia eſt effectus rerum extra ſe, nam per effectũ cognoſcimus cauſam, quod de Deo concipere nefas eſt, vel quia ſimilitudinem rerum à rebus ipſis, vel ab aliquo alio receperit, quod eſt pariter impoſſibile,vel quia ipſemet ſit rerum ſimilitudo, quod & fingi nequit aut excogitari, quoniam aut eſſet ipſe imago rerum, vel res imagines eius:ſi detur primum, Ergo rerum eſt effectus, hoc autem eſt perabſurdum atque ridiculum. Si ſecundum, erit cauſa rerum.

Præterea omnia Deus efficit per ſuũ eſſe, ſed hoc eſt intelligere, per ſuam igitur intellectionem cuncta operatur.

Minor probatur. actus intellectionis manet in intelligente, pariter ergo & in Deo. Deus igitur eſt intellectio ipſa; nam quicquid eſt in Deo Deus eſt, alioquin intellectio aliunde Deo accideret, quare non eſſet æterna neque optima, quippè in tempore perficeretur & ab extrinſeco. Amplius ex Auerr.in Comment.vlt.lib.Metaph.part.19. Dei Scientia rebus comparatur, quemadmodum & artificis operi, ſed operis cauſa artificis ſcientia eſt,& Dei igitur.

Minor hæc patet, nã artifex operatur per ſuum intellectum, huius ergo formam operationis

rationis principium eſſe intelligimus.

His rationibus accedat communis Philoſophorum, & Theologorum authoritas, qui hanc venerantur propoſitionem. Scientia Dei cauſat res. Auerr. lib. 12. Metaph. com. 51. Dionyſ. in lib. de diuin. nominib. Auguſt. lib. 15. de Trin. cap. 13. Beatus Thomas cum Scholaſticorum caterua in prima parte, & in primo ſententiarum.

Exemplum autem à Boethio allatum extra rem eſt, videns enim à viſibili dependet, & tamen ſecundùm ipſum, Scientia Dei non dependet à re: Nam inquit aduerſus Originem, æternum dependeret à temporali: Inſuper videns à mouente ſpeciem continuò recipit, Deus autem nequit à re quicquam accipere.

Cùm ergo vera ſit conſecutionis probatio, ſubſiſtit in ſuo firmamento argumētum. Si Deus cognoſcit peccata, igitur ea operatur.

Pro intelligentia hùius perdifficilis argumentationis notandum eſt, peccato ineſſe duo, bonum ſcilicet & malum: vtriuſque autem cauſa Deus dicetur, ſed diuerſimodè, peccatum fundatur in voluntate, quæ cùm ſit ens, bona eſt, omnis autem bonitas à Deo eſt, quare vt peccatum eſſe nequit abſque voluntate, quæ & in fieri, & in conſeruari à

Deo dependet, ſubtracta namque manu Dei nihil eſt voluntas, peccatum à Deo eſſe dicitur: peccatum inſuper continet malum, nempe deformitatem, cuius cauſa Deus eſt permiſſiua, quia niſi ipſe permitteret, nequaquam humana voluntas laberetur. Cùm igitur bonitatis, ac deformitatis peccati Deus ſit cauſa, illius per ſe, huius quaſi per accidens, ſequitur vt vtramque in peccato agnoſcat. Præter hãc tamẽ Dei conniuentiã, cùm permiſſio nõ ſit ſufficiẽs cauſa effectus, concurrit noſtra voluntas immediatè, & per ſe effectrix deformitatis, hic autem effectus, cùm à voluntate mea, & non à Deo procedat, & ordine naturæ priùs ſit me peccare, quàm Deum agnoſcere me peccãtem, quippe cognitio rei præſupponit rem, à peccato meo cognitio Dei dependet, non quidem ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſecundùm quid, & ſub conditione: Sicuti ſi ex præſuppoſitione quòd Deus vult humanam voluntatem eſſe liberam, neceſſe eſt aliquam ei tribuere actionem, cuius ipſe ſecundùm modum aliquem non ſit cauſa, quamuis ſimpliciter actionum omnium auctor dicatur, ita pariter ex hypotheſi, quod ad peccatum actio volũtatis requiritur, cognitio diuina peccati à peccato depẽdeat neceſſe eſt. Nam quemadmodum

admodum volens me Deus ſeruare, indiget me, non ſimpliciter, imperfectus enim eſſet, ſed ſecundùm quid, non enim poteſt ſeruare me, niſi ego ſim: Ita quoque ſi Deus cognoſcit peccatum meum, cùm rei cognitio rem præſupponat, prius in me illud erit, ab hoc igitur diuina cognitio dependet ex ſuppoſitione vt ſupra.

Nec obſtat Boetiana ratiocinatio, æternũ non dependet à temporali; quia licet peccatum meum ſit in tempore, vt à me committitur, dicitur tamen æternum, vt ab æterno à Deo cognitum eſt. veluti productio Verbi diuini, quãuis in ſe ſit æterna, poteſt cognoſci à me incipiẽte, vtque nuper, & recenter à me cognita eſt, noua dici poteſt, etſi intellectui meo vt æterna repreſentetur. Conſimiliter peccatum meum in tempore poteſt cognoſci à Deo æterno, vtque cognitum eſt ab æterno, æternum eſt, licet æternitati repreſentetur vt in tempore.

His poſitis ad Argumentum, cognoſcit Deus peccata, ergo efficit. Conſequentia negatur.

Ad probationem. Scientia Dei cauſat res: dico propoſitionem hanc veram eſſe in rebus à volũtate humana nõ proficiſcẽtibus, ſecus verò in actionibus voluntariis, quia, ſi

ſcientia Dei has efficeret, nequaquam liberę eſſent, Quare de noſtris operibus verũ cenſeo dictum Origenis in Epiſt. ad Rom. in explicatione illorum verborum, *quos prędestinauit, hos & vocauit, &c.* Non quia Deus præuidet, ſic erit, ſed quoniam ſic erit, ideò præuidet. Vnde non quia Deus præuidet me peccaturũ, ego peccabo (ſic enim actio peccati non foret libera, & per conſequens non eſſet peccatũ, quare implicatoria includeret) nec ex quo ego pecco, aliquid in Deo generatur, mutaretur enim, ſed actus peccati mei terminat Dei cognitionem, adhoc enim vt Deus agnoſcat peccatum meum, hoc in me exiſtat oportet tanquam conditio ad diuinæ ſcientiæ certitudinem requiſita.

In Peripatetica autem Cathedra aliter diſſoluerem argumentum, concederem enim cum Ariſt. Deum in peccato efficere quod in eo agnoſcit. Per Ariſt. verò formale peccati à Deo non cognoſcitur, hoc enim conſiſtit in priuatione, quæ ſub Dei cognitionem non cadit, quare in 3. de anima. tex. 25. aſſerit priuationem non cognoſci ab intellectu ſemper exiſtente in actu, multo minus à Deo. Cùm ergo ſecũdùm Ariſt. Deus formale peccati non agnoſcat, nec illud operabitur. Materiale verò peccati ſub Dei cognitio

gnitionem, & operationem cadit, nam ens eſt, & omne ens à primo ente ducit originem, vt habetur in 12. Metaph. & primo de Cælo.

EXERCITATIO XV.

Continet refutationem ſecundi argumenti.

SEcundo Argumento quod tale eſt, Deus peccatis non occurrit, neque medetur, illorum igitur autor, & effector dici poterit. Reſpondeo falſam eſſe conſecutionem.

Ad probationem. Chriſtiana religione compellimur ſcelera prohibere vbi poſſumus, aliàs peccati reatũ incurrimus, ſic Deus non auertens, & prohibens peccatum, cùm poſſit, ipſius author dicetur.

Reſpondent cõmuniter Doctores, Deum in ſeruando homines à peccatis non minus præſtare quàm quod creatura præſtare tenetur: hæc enim diuinæ legis præſcripto cogitur proximum corrigere, ita tamen vt liberum eius arbitrium minimè lædat. Ille per ſacram ſcripturam, per Sacerdotes ſuos in terris vicarios, exorbitantes in verum tramitem reducere, & à prauis operibus ad ſanam mentem reflectere conatur; ſaluo tamẽ

 atque

atque illibato humanæ libertatis auguſtiſſimo priuilegio, alioquin ſi à peccatis nos penitus remoueret, libero noſtro arbitrio derogaret: hinc naturæ potius corruptor quàm ſeruator dici poſſet.

Sed nugæ hæ ſunt nugaciſſimæ, poteſt namque Deus liberum arbitriũ integrum, & illæſum in omnibus cuſtodire, ſimulque à peccatorum ſordibus nos immunes reddere, ſicuti Beatæ Virgini contigit. Quinimò etſi peccandi facultatem tolleret, liberum tamen adhuc arbitrium in nobis ſupereſſet, vt ratione, exemplis, & authoritate breuiter demonſtrabo. Ratione quidem, nam ſublata potentia peccandi, poſſet humana voluntas modò operari bonum, modò ab illius operatione conquieſcere. Item poſſet hoc bonum eligere, & illud omittere: quare in voluntate, peccandi ſublata facultate, libertas ſemper remaneret exercitij, atque ſpecificationis. Exemplis, ſiquidem Deus libero arbitrio præditus eſt, alioquin nec nos, haud tamen peccare valet. Similiter & Chriſtus Dominus liber fuit, & tamen peccato ſubiectus nulli. Accedat doctiſſimorum Patrum authoritas, Ambroſij in lib. 2. de Fide c. 2. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. vlt. & Anſel. l. 1. de lib. arb. c. 1. aſſerentium voluntatem im-

peccabilem & liberam ſimul eſſe poſſe.

Nos igitur argumenti conſecutionis probationi reſpondemus, negãdo paritatem inter Deum, & creaturam. Hæc enim diuinæ legi ſubiicitur, quare ſi ex præcepto mandatoque diuino non conatur proximum à ſceleribus deflectere, ſi cognouit, & potuit, peccati rea eſt. Deus autẽ minimè, quippe nulli legi eſt obnoxius, ſicuti nec Princeps terrenus, vt dicitur in lege Princeps. ff. de legib. Præterea & ſubtiliſſime Dei volũtas lex eſt, quemadmodum & Principis §.quod Principi placuit, inſtit. de iur. nat. gẽt. & ciuil. Si ergo Deus vult gentes perdere, facit ſecũdùm legem, nempe ſecundùm voluntatem ſuam, quæ lex eſt, quis igitur dicere audebit, cur ita facis?

EXERCITATIO XVI.

Pro reſponſione ad tertium argumentum.

TErtium argumentũ erat hoc. Si Deus vult peccata, igitur facit, ſcriptum eſt enim, *omnia quæcunque voluit fecit.* Si non vult, tamen committuntur, erit ergo dicẽdus improuidus, vel impotẽs, vel crudelis, cùm voti ſui compos fieri aut neſciat, aut nequeat, aut negligat.

Reſpondent noſtri Theologi, Deum nolle peccata, quinimo velle omnes homines ſaluos fieri, quod ſi aliter eueniat, Dei prouidētia, vel omnipotentia culpanda nō eſt, quando id exoptat voluntate tantummodo complacentiæ, nō efficaciæ: neque ex multarum gentium exitio impietatis poterit redargui Deus, qui piiſſimus pater ſufficiens ad ſalutem omnibus fert auxilium.

Philoſophi nullo negotio hanc doctrinam reiiciunt, inquiunt enim, ſi nollet Deus peſſimas, ac nefarias in orbe vigere actiones, proculdubio vno nutu extra mundi limites omnia flagitia exterminaret, profligaretque: quis enim noſtrum diuinæ poteſt reſiſtere voluntati? quomodo inuito Deo patrantur ſcelera, ſi in actu quoque peccandi ſceleſtis vires ſubminiſtrat? Adhæc, ſi contra Dei volūtatē homo labitur, Deus erit inferior homine, qui ei aduerſatur, & prȩualet. Hinc deducunt, Deus ita deſiderat hunc mundum, qualis eſt, ſi meliorem vellet, meliorem haberet. Quod autem in ſacra pagina legimus, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, exponunt ex Sanctiſſimi Patris Auguſtini ſententia, id eſt, nemo ſaluatur niſi Deus velit: Quam ratiocinationem vt Caluiniſmo proximā miſſam faciamus. In noſtra enim Apologia pro

Tridentina Synodo, in decreto de iuſtific. Caluiniſtarum errorem certis cõfutauimus demonſtrationibus.

Illud ingenuè fatear, Scholaſticorum diſtinctionem de Dei voluntate efficaciæ & complacentiæ aſſequi me vix poſſe. aſſerunt enim illa accedente infallibiliter ſubſequi effectum, poſita verò hac nullo modo, quod mihi pluribus de cauſis non probatur.

1 Per iſtos DD. complacet Deo fieri aliquid, quod tamen non fit. Falsò ergo intonuit Spiritus Sanctus. Omnia quæcumque voluit fecit. Conſecutio probatur, quia voluntas complacentiæ propriiſsimè (vt ita dicam) voluntas eſt.

2 Per hos Theologos creatura reſiſtit voluntati complacentiæ diuinæ, reſiſtit autem ex complacentiæ voluntate, humanæ igitur complacentiæ voluntas diuina longè potentior eſt atque validior. quippè voluntas noſtræ complacentiæ effectum cõſequitur: Diuinæ verò minimè: ſit exẽplum, Erat in Deo, aſſerunt hi DD. voluntas complacentiæ, ne Iudas morti traderet Chriſtum Ieſum. Hanc autem diuinæ complacentiæ voluntatem non eſt ſecutus effectus deſideratus, quia tradidit Iudas. Econtra traditionis deſiderio flagrabat Iudas, idque in effe-

ctum perduxit. Iudæ igitur complacentiæ voluntas præpotentior fuit voluntate complacentiæ diuinæ.qua aſſertione an quid abſurdius excogitari poſſit vel cœcus viderit.

3 Secundùm hanc opinionẽ poſita in Deo voluntate cõplacentiæ, cõtingere poteſt effectus ab ipſa petitus, quia voluntas ordinata circa poſſibilia eſt, non tamen continget. In hac igitur Dei volũtate, & perconſequẽs in ipſomet Deo, nam quicquid eſt in Deo, Deus eſt,erit ad aliquid cõſequendũ potentia,nõ igitur Deus eſt actus purus, ſed potẽtia,& quod amplius eſt,ſuperuacanea,quandoquidem nunquam ad actum reducetur.

4 Voluntas complacentiæ diuinæ appetit vel bonum, vel malum. Non malum, quia Deus ſummum bonum eſt; Nõ bonum,nam appetitio eſt à priuatione, bono igitur aliquo priuatur Deus, ſi aliquod bonum appetit, quare ſummum bonum non erit. Dices, appetit bonum accidentale. At contra,nam quid aliud eſt dicere appetit bonum accidentale,quàm aſſerere, appetit vt bonum ei accidat,quod falſiſſimum eſt,infinitę namq; bonitati, qualis eſt diuina, nulla poteſt fieri acceſſio. Prӕterea & ſubtiliſſimè, appetitio rei abſentis eſt,abeſt autem id quo caremus, carentia autem imperfectio eſt,in Deo nulla

impen

imperfectio, nec carentia igitur, multò minùs rerum abſentia, ergo nec appetitio.

5 Voluntas Patris æterni in diligendo vnigenitum Filium ſuum, proculdubio erat efficax, quia eandem effectus amoris ſubſequebatur infallibiliter: at hæc voluntas erat complacẽtiæ, vt apertiſſimis verbis ipſemet teſtatur. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* In Deo igitur eadem eſt voluntas complacentiæ, atque efficaciæ.

Multominus mihi arridet, quando nec in ſacro Codice, nec in generali Eccleſiæ concilio, nec Pontificio Decreto vllo definita reperitur illorum Sentẽtia, Deum largiri omnibus gratiam ſufficientem ad ſalutem. Nam puerilibus neglectis obiectiunculis, quæro ab iſtis qui diuinæ Sapiẽtiæ Dictatores haberi volũt, Fides in Chriſtum eſtne gratia ſufficiẽs, an efficax ad ſalutem? efficax profectò non eſt, nam cuicumque ad ſalutem datur gratia efficax, ſecundum hos DD. ſalus continget infallibiliter: non tamen omnes, qui credunt in Chriſtum ſalutem cõſequentur, quando cõplures fideles damnari, ſi vltra fidem & opera fidei conuenientia non præſtent, Sacra pagina teſtatur, & Oecumenica Cõcilia ſub anathematis pœna decreuerunt. Erit igitur Fides in Chriſtum gratia

gratia ad ſalutẽ ſufficiens. at Fides in Chriſtum multis Nationibus denegatur, pariter ergo & gratia ſufficiens. Qui ſapientiores ſunt apud eos reſpondent, à Deo non denegari infidelibus ſufficiens adminiculum ad ſalutem, quippe illis opem confert & ſuppetias ad ſeruandã naturæ legẽ, ex cuius integra obſeruatione ſalus impetrari poteſt.

Ethnicum ſanè non Chriſtianum axioma eſt, ex ſolius naturalis legis obſeruatione abſque Fide in Chriſtum ſalutem obtineri poſſe. Nam Dei Filius & ipſe Deus apud Io. 3. hanc generalem promulgat legem. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non introibit in regnum Dei.* Et Paulus ad Hebæos. 9. exclamat, *Abſque Fide impoſſibile eſt placere Deo*, & Apoſtolus Petrus Actor. 4. *Non eſt in alio aliquo ſalus.* Aliqui argumenti huius ſalebras declinantes, dicunt eum qui naturæ ſatisfaciat legi, ſeruari non ex illius merito, ſed ex fide in Chriſtum, quia obſeruanti naturalem legẽ Deus fidem ſit imperiturus.

Dimicant pro Helena illa Pelagiana, facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. at reclamat Paulus, aſſerens Fidem eſſe Dei donum, quod ex præcedentibus meritis non conceditur. Deinde quî fieri poterit, vt moralia infidelium opera fidei gratiã apud

Deum

Deum promereantur, ſi Deo exoſa illa eſſe Paulinus contextus declarat. Abſque fide impoſsibile eſt placere Deo; & alibi, *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* quem locum aduerſus Ethnicorum opera præclariſſima vrget ſæpiſſimè Auguſtinus, & ſi aliter ego ſentiam, vt in Decreto Tridentino de Iuſtif. exactiſſimè à nobis diſputatum eſt aduerſus Martinum Kemnizium. Et vt abſoluam paucis, quomodo Deus præſidium ad Salutem ſufficiẽs infantibus in vtero matris decedentibus ſuppeditat? gratia ſanè ſufficiens baptiſmus eſt; at hic denegatur & Fluminis & Flaminis, & Sanguinis, vt recentiores loquuntur. Sit autem gratia ſufficiens naturalis legis obſeruandæ facultas, non datur illa puerulo ſic intermorienti.

His igitur Scholaſticorum diſtinctionibus non aſſentiẽs, neque aſſenſurus, donec Sancta Eccleſia Romana Eccleſiarum mater eas confirmarit. Reſpondebo quidem ad Argumentum, ſed ruinam pertimeſcẽs, humi ſerpam (malo namque mihi iratũ Horatium quam noſtrates Inquiſitores, quos tanquam vineæ Dominicæ cuſtodes ſuſpicio, atque deueneror) Malum aliquo modo fit præter prouidentiam diuinam, non enim aſſentitur, aliquo modo verò præter prouidentiam

dentiam diuinam non patratur. quia non prohibente illa. Dices, vult igitur Deus peccatum, permiſsiuè concedo, ergo facit, conſequentiam nego: permiſſio enim non eſt ſufficiens cauſa ad effectum.

EXERCITATIO XVII.

Pro ſolutione quarti argumenti.

QVartum argumentum his proponebatur terminis. De poſſibilibus Deus & natura ſemper faciunt quod eſt melius. At poſſibile eſt & melius nulla omnino in mundo vigere ſcelera, deberet igitur id factitare Deus, vt ex vniuerſo orbe omnis peccatorum ſentina exoneraretur: at negligit, inuidus ergo eſt, vel improuidus.

Reſpondent Stoici negando primam partem minoris propoſitionis, exiſtimant namque impoſſibile eſſe, vt orbis careat ſceleribus, cùm omnibus indita ſit à Natura ad peccandum potentia, & procliuitas quædam, ad actum igitur perduci debet, ne conditoris fruſtranea ſit intentio & ſuperuacua. Sed ineptiſſimè eos & inſulſiſsimè ratiocinari oſtendemus infrà.

Platonici falſum eſſe aiunt alterum minoris membrum. Plato namque in Timæo aſſe

aſſeruit, mundum non poſſe diſpoſitionem habere meliorem quàm nunc habet, quia ab optimo, & ſapientiſſimo gubernatur, ac regitur, quare cùm nõ vniuerſi, & ſinguli mortalium virtutes amplectantur, argumentum eſt id melius non eſſe, efficeret namque id Deus optimus omnium rerum moderator.

Vt Platonica hæc ſententia facilius intelligatur, obiter hic adnotabo ſolemnem in ſcholis noſtris agitari quæſtionem, an Deus facere poſſit melius quod fecit, quàm quomodo fecit. Qui parum ſapiunt reſpondent abſolutè, potuit, poteſt, & poterit. at his ita reſpondentibus ſic obuiabo, Deus ſi optimè fecit, fecit autem optimè optimus, & addat ei, quod fecit, inſuper aliquid bonitatis, non optimũ illud iam fuerit, quod erat optimũ. Qui doctiores ſunt, dicũt non poſſe Deum melius facere, quàm quod fecit poteſtate ordinaria, poſſe tamen poteſtate abſoluta.

At contra: quia, ſi poteſt facere melius, quàm quod fecit, minus benè fecit: at minus bene facere includit priuationem ſummi boni, & ſummæ poteſtatis. Deus autẽ ſummum bonum eſt & poteſtas ſumma. Deinde nihil ponere debemus in Deo, quod non ſit ipſemet Deus, ſed Deus vnus eſt & poteſtas abſoluta, ergo nõ niſi vnicam, & abſolutam

poteſtatem in Deo ponere oportet: neque ordine diſponitur, aut diſtinguitur eius potentia, ſed ipſe ordinis auctor eſt, ab eoque omnis ordinis neceſſitas dependet, ipſe rebus ſua infinita ſapientia, & bonitate ordinem præfixit, compoſuit prudẽtiſſimè, aptiſſimè diſtribuit, deſcripſit elegantiſſimè, magnificentiſſimè ornauit, grauiſſimè ſtabiliuit. At ſummum bonum ſemper quod optimum eſt vult, & deſiderat, quod per Sapientiam cognoſcit; Quæ igitur à Deo facta ſunt, ſummè bona ſunt, quare & in Geneſi legitur, *vidit Dominus cuncta quæ fecit, & erant valdè bona*, quare ego propoſitæ quæſtioni hunc in modum reſpondebo. Omnia quæ à Deo condita ſunt, ſunt ſummè bona, quia à ſummo bono ſimpliciter non poteſt niſi ſummum bonum in vnoquoque genere, aut ordine entium proficiſci, quare homo in ſuo genere ſummè bonus eſt, & cimex, & pulex, & omnia in ſuis circumſcriptionibus eſſentialibus ſummè bona ſunt, non enim eſſent hoc quod ſunt, niſi in ſummo ſuo eſſendi eſſent genere atque ordine. An autem Deus in iiſdem noui quicquã poſſit creare vel addere, dico poſſe ex immenſitate ſuæ potentiæ, non tamen velle, quia ſeipſum imperfectioris, & minus ſolertis operæ argueret

ret,quam in priore opere poſuiſſet.

Vel dicamus, poteſt Deus facere ſemper aliquid melius, res tamen non poteſt ſuſcipere illud melius. Poteſt Deus, aſſerunt aliqui, facere ens eſſentia infinitum, ens autem ipſum non poteſt ſuſcipere illā infinitatem.

Dices, früſtranea, & ſuperuacua potentia eſt, quæ nō habet in quod agat, Sed potentia Dei infinita nō habet in quo totam ſe exerceat, quia nihil infinitatem ipſius poteſt recipere. Fruſtrà eſt igitur infinita Dei potētia.

Reſpōdeo maiorem eſſe veram apud nos, non apud Deum, Nam hîc potentiæ, & actus ſunt relatiua. At Dei potentia ad nihil refertur, Sed ſua ſolius eſt, & ipſa ſibi, & hoc omne quod ſunt omnia.

EXERCITATIO XVIII.

Reſpondet quinto Argumento.

HOc autem ſic adſtruebatur, Dās cauſam damni, damnum feciſſe dicitur. At Deus dat cauſam peccati, illius igitur author eſt: minorem probare ſolēt Athei, quia Deus homini naturam dedit ad malum potius quàm ad bonum procliuem; plus enim habet de non eſſe, quam eſſe, quare facilius ad defectum declinat quàm con-

tendat ad perfectionem. Intellectum verò humanum neſcio quibus nebulis obnubilauit, quinimò peccatis titillationis aliquid indidit oblectamentique & facilitatis. virtutes verò poſuit ſudore magno comparandas; adeóque Deus conſulto ita conſtituiſſe videtur, perpauci vt virtutes, vitia vt quamplurimi ſequerentur: quare acutiſſimũ Philoſophum ita ratiocinantem Lutetiæ excepi, ij qui virtutes proſequuntur fures ſunt, nam quæ Deorum ſunt ſibi vendicant, vitiorum verò Sectatores æquiſſimi, iuſtiſſimique, quærunt enim quæ ſua ſunt.

Reſpondeo falſam eſſe minorem. Tradidit enim Deus homini naturam adeò imbecillem, & ad peccata procliuem, non vt peccaret, ſed vt potens peccare, & non peccans maiora ex meritis præmia conſequeretur, ideò dedit ſtimulum carnis, ſed ad perfectionem virtutis, quia virtus in infirmitate perficitur. Humanus intellectus nebulis quibuſdam obductus eſt, fateor. nec id quidem ſine magna diuinæ Sapientiæ teſtificatione, quando ipſius natura ſic exigebat, quod ſi enim factus eſſet natura ſua illuſtrior, ſuum ipſe amiſiſſet eſſe: fuiſſet enim intelligentia, non intellectus; Nec tamen vſque adeò obſcuratus eſt, vt à malo bonum

ſecer

ſecernere nequeat: vitiis delectationem indidit, non vt illorum irritamentis faciliùs inescaremur, ſed vt illa tanquam Syrenum Scopulos prætemauigātes maiori cum gloria ad cœleſtem illam Ithacam pertingeremus, atque ibidem maioribus delitiis, veriſsimiſque voluptatibus exciperemur. Nec virtutes ipſas omni exuit delectatione, imò tantis cumulauit deliciis, vt licet magnis illas acquiramus laboribus, acquiſitis tamen magno cum gaudio perfruamur. Cōtra Scelera in vmbra, atq; ocio coaceruata, laboris, & triſtitiæ infœliciſſimū ſortiuntur exitum. Cúmq; nō ab initio, ſed à fine res ſumat denominationē, virtutūq; finis ſit optimus, vitiorū autē peſſimus, Bonū autē per ſe amabile, malū per ſe exoſum ſit ac deteſtabile, atq; hoc modo Deus voluit homines à vitiis retrahere, & ad virtutes adducere, illorū finem malum, harum autem bonum oculis vniuſcuiuſq; obiiciēdo. Nam vt ait Ariſtot. 1. Eth. c. 1. quilibet agit propter finem, & ad bonum aliquod conſequendum: Quod ſi vitia facili negotio acquirimus, virtutes autem perdifficili, vitiorum id deformitatem, & ignominiam, virtutum verò hoc excellentiam præoſtendit, nam quæ citò fiunt, citò pereunt, quæ cum difficultate, diutiùs

perdurant, vt in plantis, & animalium generatione cõſpicitur. Multo minus aſſerẽdum eſt vitia eſſe proprium quid hominis, virtutes verò quid ab homine alienum, Nam homo quâ homo intellectiuus eſt & rationalis, ratio autem cùm ſit ad virtutes accommodata, ſi ipſas ſectabitur, ſua ſequetur. Sin autem vitiis, corporiſque voluptatibus ſeſe addicabit, beluæ potius quã hominis ſpeciem, nomenque feret, cùm aliena beluina nimirum inſequatur.

EXERCITATIO XIX.

Pro vltimi argumenti ſolutione.

SIc inferebatur. Deus vult miſericordiã & pœnitẽtiam, igitur & peccata, Reſpõdeo non admittendo conſecutionem; Ad probationem, peccata ſunt media ad illas virtutes exercẽdas perneceſſaria: dico id eſſe falſiſſimum, etſi enim peccaret nemo, Dei tamen miſericordia ſemper maneret, & magis ſe magiſque oſtenderet, non quidem in condonatione culpæ, ſiquidẽ per hypotheſin foret nulla, ſed in creatione, conſeruatione, ſuſtentatione, præſeruationeque à tot imminentibus vitæ periculis, aduerſitatibuſque; quin imò futurum eſſet vt vberiores

res miſericordiæ diuinæ riuos inde deflecti quotidie deriuarique perſentiſceremus, ſi nullis eſſemus peccatorũ ſordimus obnoxij; Sublimior ſanè miſericordię effectus eſt, ſtantes ne cadant tenere, quàm lapſos erigere, & in priſtinum gradum reſtituere. Firmiori, nobiliorique gratiarum comitatu Auguſtiſſimam Chriſti matrem Deus voluit communitam, dum immunem ab omni vitiorum labe intactamque conſeruauit, quàm Petrum, alioſque lapſos, dum in priſtinum gratiæ illos reſtituit ſtatum.

Ad confirmationem. Martyrium Deo gratum eſt, id tamen neceſſario antecedit Tyrannorum ſęuitia. Reſpõdeo, quâ peccatum ſupponit, à Deo nullo modo exoptari, Pergrata tamen illi eſt Martyrij virtus, quæ, cum in charitate conſiſtat, peccatum præſupponit nullum, & à Confeſſore aliquando perfectior quàm à Martyre poſſidetur. Quis enim inficias eat, ſi non illuſtriori, pari ſaltem martyrij virtute, charitateque præditum fuiſſe D. Ioannem Euangeliſtam, atque ex martyribus aliquem? Ego ſanè vel minimus militantis Eccleſiæ Tyro, cùm anno præterito Londini ad Agonem Chriſtianum deſtinatus eſſem, adeóque 49. diebus in latomiis tanquam palæſtra quadam exer-

cerer, eo eram pro Catholicæ Eccleſiæ authoritate defenſanda effundendi ſanguinis deſiderio accenſus, & inflammatus, vt mihi à Deo immortali vel maius donum, aut melius contingere nullo modo potuiſſet, ita quidem, ſi non ſuperiorem, inferiorem certè nullo martyre propriæ conſcientiæ teſtimonium me iudicauit & confratrum, qui mecum in eadem erant Xiſto & theatro fortiſſimi, & digni ſanè qui tale Deo ſpectaculum exhiberent: quare cum martyrij perfectio ad charitatẽ tanquam lydium lapidem examinetur probeturque, dico, ceſſante Tyrannorum ſæuitia, Martyrij virtutem nullatenus deficere, modo charitas Chriſtiana non extinguatur.

Quòd ſi velimus concedere miſericordiam, & pœnitentiam non poſſe abſque præcedentibus peccatis exiſtere, cogemur profecto aſſerere has virtutes non eſſe à Deo intentas de principali (vt dicitur intentione) non enim Deus vult abſolutè hominem penitere: quando id in Deipara noluit, ſed ſub conditione, ſi peccauerit, nec ſimpliciter indulgere homini paratus eſt (nec enim Chriſto Domino indulſit) ſed pœnitenti duntaxat.

Inſtabis, ſi hæ virtutes non ſunt per ſe intentæ,

tentæ, aliis igitur erunt imperfectiores: at hoc eſt falſum, ergo & illud, ex quo id ſequitur. Maioris propoſitionis ſequela probatur, nam occaſionatum, vt noſtri barbari loquuntur, nequit eſſe perfectum, vt opus per ſe intentum, quare monſtruoſum animal imperfectum dicitur à Peripatecis.

Minor quoque diuino teſtimonio comprobatur, ſiquidem Pſalmiſta regius ait, *Miſericordia eius ſuper omnia opera eius*, & alibi, *Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Et peccatorum pœnitudo, bonorum à Chriſto ipſo iuſtitiæ antefertur in parabola de oue perdita.

Concedo virtutes has, vt præſupponunt peccatum, non eſſe primariæ contemplationis, quare nec perfectiores; pœnitere namque abſolutè melius non eſt, quàm non pœnitere, alioquin & Chriſtum, & Mariam pœnituiſſe neceſſe erat; ſed pœnitere peccantem perfectius eſt, quàm peccantem non pœnitere: neque ſimpliciter melius ducimus, vt alicui Deus indulgeat, quoniam id Chriſto contigiſset; ſed præſtat peccatori pœnitenti indulgere, quàm non indulgere. Conſimiliter quid melius videtur, vt à peccato lapſos reſuſcitet, quàm non, abſolutè tamen melius eſt non erigere, quàm erigere,

quia hoc ſupponit lapsũ, illud verò minimè.

Neque ſacræ paginæ aduerſamur, quando in illa ſcriptum ita adinuenimus, *miſericordia eius ſuper omnia opera eius*, Hîc tamen non probatur miſericordiam reliquis Dei virtutibus vnam antecellere, vt noſtrates Homiliſtæ exinde deducunt, apud incautam plebeculam exclamantes, Deum eſſe miſericordem magis quàm iuſtum, qua blaſphemia quid horribilius excipere Chriſtianæ poſſunt aures? Eſſet enim Deus non ens ſimpliciſſimum; atque puriſſimum, ſed compoſitum, atque adeò principiatum, & rebus illud componentibus poſterius aliquid. Dauidicus autem verſiculus non aſſerit, miſericordiam omnes ipſius ſuperare perfectiones, eſſet enim idem ſuper idem, nam quicquid in Deo eſt, Deus eſt, ſed ait, *Miſericordia eius ſuper omnia opera eius* (effulget nimirum) non quod ſit maior perfectio, ſed quod perfectio ipſa magis appareat: quẽadmodum artificis induſtria maior videtur, ſi ex rudi, & informi materia pulchrum aliquod opus machinetur, quàm ſi ex illuſtri æquè præclarum, Ita Deus maius quiddam & mirabilius præſtare videtur, dum peccatori veniã elargitur, quàm in eundem ſi vindicet, cùm tamen in Deo tam hæc, quàm illa

ſumma

ſumma ſit perfectio: quinimò in Deo idem eſt miſericordia,& iuſtitia: noſtro verò mutilo intellectu diſtinguimus nos & abſurdiſſimè quod vnum eſt ſimpliciſſimum.

Dices, miſericordia Dei ſupponit peccata noſtra, non eſt igitur apud illum primariæ conſiderationis, quare nec perfectionis, vt patet in monſtris, quæ cum ſecundario ſint intenta à Natura, imperfectum quid dicuntur.

Pudet hanc inſaniam toties refutare. dicimus diuinã miſericordiam non reſpicere peccatũ, quia creauit,& conſeruauit, & nũc conſeruat quæ nullum omnino habent defectum. Sed hunc ſi primario reſpiciat, quid inde? erit imperfecta, vt è monſtri exemplo deductum eſt. inſcitiſſimè quidem, quando in monſtruoſis ſpecies quædam naturæ apparet admirabilis,& ſublimior quàm in alijs, quemadmodum & Dei miſericordia multo nobilior apparet, cùm ex malis bona, quàm dum ex bonis bona elicit.

EXERCITATIO XX.

Ciceronis ſententiam atque rationes referens aduerſus Dei prouidentiam pro liberi arbitrij tutela.

MArcus Tullius in libris, quos de Natura Deorum cõſcripſit, Diuinam Prouidentiã negauit, ea perſuaſus ratione, quod libero arbitrio vnumquemque noſtrũ præditum agnoſcebat, illudque in ſocietatem diuinam prouidentiam admittere non poſſe exiſtimabat: Quare Auguſtinus in lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. dixit, *Cicero dum vult facere homines liberos, facit ſacrilegos.* Illius argumentum illud erat: vel liberum arbitrium non habemus, vel Dei prouidentia nulla eſt, at illud habemus, ergo nulla hæc ſit neceſſum eſt; Minor facili negotio probatur. Nam experimur in nobis eſſe velle, & nolle nullo extrinſeco agente.

Maior probatur à Ciceronianis tribus mediis, & iis, vt putant, validiſſimis.

Primo, Dei Prouidentia debet eſſe cum certitudine, vt falli, & variari nequeat: liberum verò ar' itrium de contingẽti eſt atque indeterm nato. ab eodem igitur inuicẽ ſeſe expellunt contubernio, quippe variabile ac

inde

indeterminatum ab inuariabili & determinato excluditur, vt è contra: vel ſubtilius hunc in modum argumẽtemur. Si Deus videt,& certiſſimè,vt illius conuenit Maieſtati,effectum futurum, hic nõ poteſt non eſſe, ſed quod non poteſt nõ eſſe, neceſſe eſt eſſe, vt patet. quod neceſſe eſt eſſe, contingens eſſe nõ eſt,ex Ariſt.2.Periern.quod eſt igitur contingens eſſe, non eſt contingens eſſe, quod implicat:quare & aufertur liberum arbitrium, quod cum neceſſitate conuenire, vnirique nullo modo poteſt.

Secundo, ſi Deus nunc ſcit cuncta quæ vẽtura ſunt,immò ab æterno præuidit, cum ad ſcientiam rei ſequatur rem eſſe, quia non eſt ſcire quod non eſt, vt habetur in primo Poſter. neceſſariò hæc infertur concluſio, Quæcunque Deus ſciuit futura,erunt. Tunc ſic: cum antecedens eſt neceſſarium, pariter & conſequens, ſed antecedens, nempe Deus ſcit,& ſciuit futura, ſimpliciter neceſſarium eſt, ergo & conſequens tale erit:hinc neceſſarium eſt,ſint omnia, quæ erunt,quia non poterunt non eſſe: cùm itaque actiones humanæ erunt & de neceſſitate, libertatem amittunt.

Tertio omne à Deo cognitum ſit neceſſe eſt,ſcientia enim ipſius aliter certa dici non poſſet,

poſſet, ſed incerta, & mutabilis, quod diuinæ repugnat perfectioni: at quæcunque futura ſunt, à Deo cognoſcuntur, ſi cadũt ſub ipſius prouidentiam: omnia ergo futura de neceſſitate euenient, & per conſequens non ex libera noſtra voluntate.

EXERCITATIO XXI.

Aduerſus Ciceronem probat Dei Prouidentiam.

Contra verboſum noli cõtendere verbis Cato Romanæ Oraculum ſapientiæ pronunciauit, quare non orationis fuco, ſed rationis certiſſimo argumento Ciceronis contumaciam perſtringam: quæroque ab ab ipſo, an Dei abneget prouidentiam, quia Deum credat eſſe nullum? an hunc confiteatur, ipſius tamẽ regimẽ in hæc inferiora nullum eſſe dicere non vereatur? an vtrumque admittat, hominem verò ſolum à diuina exemptum putet tutela? ſi primum aſſerit, quod veriſimilius eſt, quandoquidem in libris de Nat. Deorum, & in tota ſua Philoſophia, ridicula illa quidem, aduerſus Epicurum diſputat, perabſurdum eſſe probans Deum concedere, ipſius verò prouidentiæ confeſſionem recuſare, cùm ergo ipſemet in

2. & 3. lib. Dei prouidentiam pernegauerit, proculdubio nullam agnouit Diuinitatem, adeóque illum nos in Atheorum album referendum putauimus. Si non concedit (Dei inquam Prouidentiam) quia nec eſſentiam, per primas entis partitiones Deum eſſe dilucidè oſtendam. Omne ens aut ens eſt à ſe, aut ab alio: omne ens aut eſt finitum, aut infinitum. nullum ens finitum à ſe, mundus eſt ens finitum, à ſe igitur non eſt, ſed ab alio primo, ſummo, & æterno Ente, quod Deum communi vocabulo nuncupamus.

Si verò fatetur Cicero Deum eſſe, non tamen ſublunaria curare, non modo ſibimetipſi contrarium aduerſus Epicurum ſæpenumero aſſerenti aduerſatur, ſed manifeſtæ quoque rationi, Nam in Cœleſtibus corporibus pulcherrima notatur εὐταξία, elegantiſſima deſcriptio, magnificentiſſimus ordo: illorum igitur Rector aliquis & moderator ſit neceſſe eſt, cúmque experimento, & vſu quotidiano compertum ſit Deum in hæc inferiora agere admirabili quodam perpetuoque ordine, idcircò illa deſcribens, hæc inferiora quoque diſponet, quippe propter hæc illa ſunt: diſpoſitio autem & ordinatio ad prouidentiam ſpectant: ſin autem affirmat Deum hæc inferiora regere, non tamen

hominem

hominem curare, Philoſophiæ ſanè Tyroni etiã riſui ſe ſanniſque proponet, nã ſi cætera curat, quãto magis hominem, quem horum omnium quæ videmus tum ſpectatorẽ quaſi quendam, tum etiam Dominum conſtituit, confirmauitque, adeoque prę cæteris ordine eget maximè & cuſtodia: vtpotè præ reliquis conſtitutum ſibi ordinem, & lineas cupiens tranſilire. Præterea, vt ſupra probauimus contra Cardanum, & Ariſtot. in 2. Phyſ. adſtipulatur, omnia hæc inferiora propter hominem ſunt tanquã ipſorum finem, quod ſi Deus eorum quæ ad finem ordinata ſunt curam gerit, quanto magis finem ipſum curare putandus eſt?

EXERCITATIO XXII.

Ad Ciceronias probationes adducit Boetij, & Aquinatis reſolutiones, quas etiam confutat.

PRimæ rationi Diuina Prouidẽtia certa eſt infallibilis, & inuariabilis, at his contrarias conditiones liberum arbitrum ſibi vendicat, nullo igitur modo conſentire poſſunt, Boetius in lib. 5. de Conſil. proſ. 6. tres profert reſponſiones. quarum.

Prima

Prima hæc eſt, non eſſe inconueniens ſcientiam in ſe eſſe certam, quanquam illud de quo ſcientia eſt, naturâ ſuâ ſit incertum, quoniam cognoſcens naturam cogniti neceſſario non ſequitur.

Sed hallucinatur Boetius, Quod ſi enim Deus poſſet determinatè cognoſcere indeterminatum, cognoſceret quoque impoſſibile, ſed non hoc, quia implicat eſſe, & cognoſci, ergo neque illud: ſequela maioris probatur, nam quod impoſſibile à Deo nõ cognoſcatur, vel ex hoc intelligi poteſt, quod repugnet eſſe, & per conſequens cognoſci, Conſimiliter cum de intrinſeco intellectu, & formali ratione futuri contingentis indeterminatio ſit, ſciri non poteſt determinatè, ſciretur enim ſub conditione repugnante principiis ſuis, quod implicat: Præterea ſi determinatè à Deo cognoſcitur, ipſius intuitus fertur ſuper vnam partem determinatam, immò & illam determinatè veram eſſe cognoſcit, alteram verò determinatè falſam, quare ſi ſcit A determinatè verũ, A eſt determinatè verum, ergo naturâ ſuâ A eſt determinatæ veritatis contra Boetianã reſponſionem. Eius autẽ ratio (ſcilicet cognoſcens nõ ſequitur naturã cogniti, quare ille poteſt eſſe determinatus, hoc exiſtente indeterminato) falſi

falſiſſima mihi videtur, nam in Philoſophiæ tabulis ſcriptum adinuenio, vt ſit vera cognitio oportet eſſe ſimilitudinem inter cognitum,& cognoſcens,& in hoc principia illius repræſentari, quare cum cogniti contingentis principia indeterminata ſint,quinimò indeterminatio de conceptu futuri contingentis, ſi huius principia Deo repræſententur determinata, diuina cognitio falſa dicetur,ſcire namque contingens eſſe verum determinatè,perinde eſt ac noſſe indeterminatum eſſe determinatum, quod implicat contradictionem.

Secunda Boetij reſponſio cum priore coincidit,aſſerit enim nihil inconuenire,aliquid relatum ad vnum habere diſpoſitionẽ oppoſitam,vt ad alterum comparetur. Hinc non ducit abſurdum, actiones humanas relatas ad ſcientiam diuinam eſſe neceſſarias, in ſe verò contingentes. Quam reſponſionem commẽdat doctiſſimus, multiſque nominibus colendiſſimus Magiſter Gregorius Spinola Theologus Carmelita,& acutiſſimè demonſtrat à Concluſione, quæ ex maiori neceſſaria,& minori contingenti ſubſequitur cõtingenter,vt in 1. prior. docet Ariſt. quare licet effectus iſte in ordine ad maiorem ſit neceſſarius, quia cauſam habet ne-

ceſſariã(ipſa namque neceſſaria ponitur)reſpectu tamen minoris contingens eſt.Et quia effectus cauſam ſequitur proximam potiùs quàm remotam , idcirco dicitur abſolutè contingẽs,& ſi aliquo modo neceſſarius eſt. Addit elegantiſſimum exemplum de planta, quæ licet producatur à cauſa neceſſaria vtpote à Sole,& contingenti ſcilicet,à ſemine, effectus tamen dicetur cõtingens potiùs quàm neceſſarius : ita pariter etſi ordine ad ſcientiam diuinam, quæ neceſſaria eſt, actio humana neceſſaria eſt : in ſe tamen , vt nimirum à voluntate producitur , contingens eſt , neque hæc ſimul iuncta vllam includunt impoſſibilitatem.

Sed liceat mihi pace ac permiſſu tantorũ virorum liberè proferre quod ſentio ! mihi ſanè hæc nullo modo arridet reſpõſio. Nam quod in ſcientia Dei eſt neceſſarium , in ſe quoque neceſſarium eſt , quippe ſcientia rei infert rem.

Præterea quæro à Boetio , dum áſſerit contingens in ſe, neceſſarium eſſe, vt in Dei ſcientia eſt , vtrum intelligat , ad Dei ſcientiam contingens de neceſſitate ſequi, veluti DEº ſcit A,ergo eſt A,& hoc modo cõtingẽs eſt neceſſarium non magis vt ſcitur à Deo quàm à Titio , quemadmodum enim rectè

infertur Deus ſcit A;ergo A eſt, tam benè dici poteſt, Titius ſcit A, A eſt igitur; vel vtrum contingens neceſſarium eſſe cenſeat, quia in neceſſario repræſentatur, in Deo ſcilicet; & ſic opinio quoque ac indeterminatio erunt neceſſaria, quoniam repræſentantur in neceſſario, atque ita quidem dubitationes quæ ſunt in intellectu noſtro determinatæ dicentur, cùm in determinato exiſtant. Reliquum eſt igitur vt Boetius intelligat contingens eſſe neceſſarium in ſcientia Dei, quia eſt de obiecto neceſſario, quod eſt proprium ſciētiæ neceſſariæ, quę ita nuncupatur, quoniam de obiecto eſt neceſſario, Nam id quod ſcitur impoſſibile eſt, vt aliter ſe habeat quàm ſcitur, vt in primo poſt: definitum eſt: quare ſi ſcientia Dei eſt certa, obiectum quoque certum eſt: aſſerere igitur contingens in ſe eſſe incertum, certum autem vt à Deo cognoſcitur, affirmare eſt, ſcientiam eſſe certam, & immutabilem de objecto incerto, atque variabili: hinc ſomniaſſe facilè credatur diuina mēs Ariſt: cum in 1. poſt: effata eſt. *Quia cuius eſt ſcientia, hoc impoſſibile eſt aliter ſe habere.* Amplius ſi contingens in ſe eſt incertum, in ordine verò ad ſcientiam diuinam certum, ergo poteſt haberi cognitio certa de re incerta; quod à

verita

veritate alieniſſimum dùcunt Sapiẽtes, nam in Libris reſolutoriis ita cõſtitutum eſt, perfici tum demùm ſcientiam noſtram, cùm cauſas omnes, principia, atque elemẽta quæſitę rei cognoſcimus. Si certa igitur de re aliqua habetur cognitio, à principiorum certitudine proficiſcitur: at incerta ſunt contingentis principia (hoc enim eſt de formali cõtingentis ratione) nequit ergo haberi certitudo de contingenti qua contingens eſt. Confirmatur. Nam certè à nobis aliquid cognoſci dicitur, cùm aliter eſſe nequit quàm cognoſcitur, ea enim demum cognitio certa eſt: ſi cognoſcit itaque Deus partem contradictionis contingentis, aliter eſſe nõ poteſt, quàm ipſe cognoſcit, nequit igitur eſſe oppoſitum; at vtraque pars contradictionis eſſe poteſt in contingenti. Ergo eadem pars ſimul poteſt eſſe, & non eſſe, quod eſt perridiculum, ne dicam perabſurdum.

Inſuper quî fieri poteſt, vt verum ſit hoc Seuerini axioma, ex natura intrinſeca aliquid eſſe contingens, neceſſarium autem vt ad alterum refertur, cùm neceſſarium, & contingens ſint oppoſita, principia verò rei intrinſeca nullam habent oppoſitionem, eſſent enim oppoſita ſimul, quippe principia intrinſeca ſunt in re principiata, (vt cũ Phi-

loſophis loquar) quanquâm conditiones oppoſitæ ſucceſſiuè eſſe poſſint in eodem tanquam in ſubjecto, & relationes oppoſitæ, vel diuerſæ: vt ſimilitudo, & diſſimilitudo, magnum, & paruum. Idem.n.dicitur ſimile, & diſſimile, magnũ, & paruum in cõparatione ad diuerſa: Sed idẽ non eſt homo & non homo, nèque in ſe, neq; ad alia: quod ſi cum altero collatus belua aliquando dicitur, non quoad naturam, & principia intrinſeca, ſed quoad accidentia, & ſimilitudinem quandam, quare naturâ contingens nunquam fit neceſſarium cuicumque cõparetur, niſi collatiuè; alioquin vna natura tranſmutaretur in aliã, & ſic homo poſſet fieri aſinus, quod eſt impoſſibile, etſi ex homine tãquam materiâ tranſeunte poteſt fieri aſinus, vt in noſtra Phyſico-magica metamorphoſi certis comprobauimus rationibus. Illud tamen Candidus Lector aduertat velim, me nõ negare, contingens ſemper eſſe poſſe: ſed fieri poſſe, vt contingens non poſſit non eſſe. Nam quemadmodum Deus non poteſt efficere, vt corruptibile ſit incorruptibile, cũ vtrumque ſit principium intrinſecum, vel certè idẽ conſequens, quæ permutare Deus non poteſt, quare efficere nequit vt homo ſit ſine materia corruptioni obnoxia, poteſt tamen

tamen ſecundúm fidem Chriſtianam perpetuitate munerare corruptibile, ſuſpēdendendo videlicet actum corruptionis: ita ad propoſitum, tametſi Deus poſſit facere, vt contingens ſit ſemper, non tamen vt contingens non poſſit non eſſe, cùm hoc ſit de intrinſeca ratione contingentis: quare concludo aduerſus Seuerinum, quod in ſe eſt contingens, Deo licet comparatum non eſſe neceſſarium.

Nec obſtant eruditiſſimi viri Gregorij Spinolæ rationes, maiori exiſtente neceſſaria, & minori de contingenti, non infertur neceſſaria cōcluſio. diſſoluitur facillimè: cōcluſio namque contingens ad maiorem neceſſariam relata, neceſſaria non eſt, quia maior abſolutè non ſubinfert concluſionem ſine minori: cumq; minor ſit de cōtingenti, concluſio ſequitur contingenter: Sin autem maior ſine minori inferret concluſionem, eſſet hæc proculdudio neceſſaria: res autem à Deo cognita, ab ipſius cognitione infertur ſimpliciter, nam ſi Deus nouit eſſe, vel fore, vel fuiſſe, de neceſſitate erit, ergo cùm ſcientia Dei ſit neceſſaria, & res quoque cognita talis erit: hinc conſtat ſimile non procedere, quippe concluſio relata ad maiorem neceſſaria non eſt, neque maior inducit con-

cluſionem abſque minori.

Secundæ verò exemplum plantæ inducenti, quæ ad Corpus cœleſte relata neceſſaria eſt, ad ſemen contingens, reſpondemus negando aſſumptum. Cœlum namque non poteſt producere plantam ſine particulari agente, non igitur ad illud relata neceſſaria eſt.

In tertia reſponſione tradit Boet. nihil obſtare quominus aliquid, abſolutè ſit contingens, ſub conditione verò neceſsarium, veluti habere nauim contingens eſt, ad traiiciẽdum verò fluuium neceſſarium. Actiones quoque noſtræ ſimpliciter contingentes ſunt, neceſſariæ verò prout diuinæ prouidentiæ ſubiiciuntur: Contingentiam autem ac indeterminationem cum neceſſitate, atq; determinatione exiſtere ſimul in ordine ad diuerſa non implicat contradictionem, nam vt ait Philoſophus in 2. Elench. Contradictio eſt ad idem, per idem, & ſecundùm idem.

Vltima verò hæc reſponſio tam vacillat, quàm titubant priores, actio namque humana futura, ſi eſt ſimpliciter contingens, ita nuncupabitur, vel quia eam non ſemper eſſe neceſſe eſt, quod licet ſit verum, non tamen ad propoſitum: loquitur enim hîc Boet. de

neceſſa

neceſſario, id eſt ineuitabili, prout dicere ſolemus, diem craſtinũ fore neceſſarium, non quia ſemper erit, ſed quoniam naturaliter non poteſt non eſſe: vel dicetur contingens actus humanus, quia poteſt nunquam eſſe ſuppoſita adhuc Dei ſcientia ipſum futurum, & hoc eſt impoſſibile, quia Scientia certa, qualis illa eſt diuina, de illo eſt quod aliter ſe habere nequit.

Ad hæc, Dei ſcientia de parte contradictionis intuitiua eſt, vt ita loquar: exigit igitur rem præſentem: ſi res præſens eſt, quomodo pro eo præſente, at ſemper illud præſens, poteſt non eſſe? quod ſi non poteſt non eſſe, neque poteſt non eſſe contingens.

Secunda ratio pro Ciceronianis adducta erat hæc: Deus ab æterno nouit omnia futura, erunt igitur: ſed antecedẽs eſt neceſſariũ, ergo conſequens. Reſpondet D. Thomas in 1. parte, conſequens eſſe neceſſarium non abſolutè, & ſi ita eſt antecedens, quoniam in his quæ intellectus actioni & volũtatis ſubiiciuntur, neceſſitas eſt, quoad hoc tantum nempè vt ſubiiciuntur intellectui, & voluntati, quare futura non neceſſaria ſunt, niſi quatenus à Deo præuiſa.

At contra: nam, vt multa alia præteream, impoſſibile eſt in conſequentia bona ante-

cedens eſſe abſolutè neceſſarium, & conſequens cum conditione ſiue ex ſuppoſitione, hac enim adempta, non erit conſequens, at benè antecedens, quia abſolutè id verũ eſt.

Tertia aduerſariorum obiectio eſt in hanc formam propoſita, omnia quæ à Deo ſciuntur neceſſe eſt eſſe: atqui ventura à Deo ſciuntur, neceſſario igitur, non contingenter erunt.

Reſpondet Doctor Angelicus maiorem veram eſſe in ſenſu compoſito: in diuiſo minimè. quam diſtinctionem deoſculantur ſcholaſtici omnes, Iulius Cęſar nequaquam, nec enim à Sede Petri promulgata eſt. Exiſtimo igitur etiam in ſenſu diuiſo veriſſimam eſſe hanc propoſitionem; quicquid ſcitur à Deo, neceſſe eſt eſſe, Nã, vt dixi aduerſus Boetium, obiectum certiſſimæ ſcientiæ non poteſt aliter ſe habere, quàm vt per ſcientiam cognitionemque habetur. ſi ergo A diuinæ ſcientiæ obiectum eſt, non poteſt aliter in ſe eſſe quàm vt diuinæ cognitioni obiicitur, quare ſi A ſcitur à Deo, ſit A neceſſe eſt. Adhoc, Dei ſcientia intuitiua eſt, quod ipſe autẽ intuetur, pro eo tẽpore non poteſt non eſſe, quare propoſitionẽ aſſumptam generaliter veram dicimus, & confitemur.

EXERCITATIO XXIII.

Iulij Cæſaris refert nouam opinionem pro concordia diuinæ præſcientiæ & liberi noſtri arbitrij.

SAcroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ veritatis perpendiculum eſt, cuncta ſubiiciens, Aſſero, Deum perfectiſſimam rerum omnium etiam futurarũ notitiam habere, non ſolùm in ſpecie ſpecialiſſima, vt Peripatetici exiſtimarunt, verùm vſque ad indiuidua. Addo, futura, vt Dei ſciẽtiæ ſubiciuntur, aliter eſſe non poſſe, quippè obiectum ſcientiæ non poteſt ſe habere aliter quàm cognoſcitur, dicente Philoſophorum Coryphæo Ariſt. in 1. poſter. *Cuius eſt ſcientia ſimpliciter impoſsibile eſt aliter ſe habere.* Verumtamen maximum eſt diſcrimen in futurorum præcognitione: ſiquidem nouit Deus actiones futuras quâ futuræ ſunt, quæ cum in re determinationem non habeant, nec in cognitione diuina, nec enim aliter res ſciri poteſt, quam eius ferat natura; Cùm itaque actiones futurę, vt futuræ, contingentes ſint, & indeterminatæ, idcircò vti tales Deus prænoſcit, euenire nimirum poſſe, & non poſſe. Dum igitur Deus præuidet Iudam

peccaturum, qua peccaturum, nouit ſolùm illum poſſe peccare, & huic cognitioni repugnat, Deum ſcire determinatam partem contradictionis, fore videlicet vt Iudas peccet: cognoſcit quoque Deus in ſua æternitate Iudam peccantem, vti iam potentia ipſius ad peccandum, in ipſum actum traducta, conuerſaque eſt, atque ita cognita Deo eſt determnatè pars contradictionis, quoniam & hæc iam determinata eſt. Vnde quemadmodum nos cognoſcimus futura contingentia, indeterminatè quidem, poſſe ſcilicet eſſe & non eſſe. Ita & Deus, nec aliquid ipſe (quod quidem ipſius omnipotentiæ nihil detrahit) vltra nos. Pars quoque contradictionis determinata nobis innoteſcit quando in re iam definita, & determinata eſt: Differunt tamen ita vt cum plurimum humana & diuina cognitio; nos quia temporis circumſcribimur, & definimur ſpatiis, determinatam futuri partem ignoramus, niſi in tempore determinata exiſtat: quare ſi Petrus cras diſceptaturus eſt, pro certo aſſerere non poſſumus, ſed ex cauſis nunc exiſtentibus, vel pręcedētibus coniecturā facere Deus tamē certiſſimè id planiſſimèque nouit, non vt futurum, quia vt ſic ſcire duntaxat poteſt Petrum contingenter

diſpu

diſputaturum, ſed vt præſens, vt quod continet in ſe tempus in quo Petrus diſputat. Æternitas enim, vt Boet. in lib. 5. Philoſophicæ conſolationis proſa penult. aſſerit, à tempore non clauditur, neque ab æuo, ſed illorum continet differentias, totaque ſimul eſt. Nos autem quia temporis perangustis circumcludimur cancellis, & existimus antequam, & dum Petrus diſputat, & poſtquam diſputarit, hinc fit vt aliquando ſciamus Petrum poſſe diſputare, & non diſputare & perfecturũ aliquãdo, & abſoluiſſe aliquãdo diſputationẽ, quare modò ancipites, & dubij, modò certi ſumus: Si verò fieri poſſet, vt hæ tres temporis differentiæ ſimul nobis ineſſent, diuerſas quoque hominum actiones ſimul pernoſſemus, verũ nullo modo id nobis conceditur, quia tempus partem habet extra partem, quapropter ſimul eſſe nullo modo poſſunt. Æternitati verò, quæ tota ſimul eſt, temporis omnes differentiæ manifeſtæ, perſpectæque ſunt, diuerſa tamen contemplatione: Cognoſcit Deus Iudam peccaturum contingenter, vt futurum ſua æternitas reſpicit, cognoſcit verò determinatè peccaturum, vt tempus, in quo peccaturus eſt, in ſe continet. Nam omne tempus ab ipſa æternitate continetur, quare

in

in hac vnita ſunt, quæ in illo ſeparata: quod ſi diuerſa in æternitate ſimul vera ſunt, nihil refert, id enim eſt ſecundùm diuerſas rationes, & reſpectus ad diuerſa tempora: in eodem temporis inſtanti homo cognoſcit equum determinatè, & indeterminatè, at non ſecundum idem, vt animal primo modo: qua hinnibile ſecundario, conſimiliter in eadem æternitate nouit Deus futurum contingenter, & determinatè, non tamen ſecundùm eundem reſpectum ad idem tempus præcisè. Non igitur noſtris actionibus Dei præſcientia necesſitatem imponit, quando ipſas vt futuras agnoſcit ſolummodo in libera facultate, vt poſſint eſſe, & non eſſe.

EXERCITATIO XXIIII.

Reſpondet Ciceronianis obiectionibus.

ILlarum prima hæc fuit: ſi Deus certiſſimè videt futura, non poſſunt igitur non eſſe, neceſſariò igitur non liberè euenient. Conſecutio probatur, quia non poſſe non eſſe, conuertitur cum neceſſe eſt eſſe.

Reſpondeo declarãdo antecedens: Deus nouit futura, fore ſcilicet, non eſſe, non poſſunt igitur non eſſe: futura, concedo. Ergo de neceſſi

neceſſitate euenient prout Deus præuidit, admitto, at ille liberè, & contingenter: & iſta igitur; Dices, ſi futura à Deo præuiſa poſſunt eſſe & non eſſe, de his igitur certam nõ poteſt Deus habere notitiam: Cõſecutio negatur: nam futura à Deo cognoſcuntur duobus modis, primo vt ſunt in ſuis cauſis, ſunt autem, vt ſic, in nuda potẽtia, vt poſſint eſſe, & nõ eſſe, nouit ergo Deus poſſe illa eſſe, & non eſſe: Altero verò vt ſunt extra ſuas cauſas, vt verò ſic, determinata ſunt, determinatè quoque & definitè à Deo cognoſcuntur, cui tempus illud præſens eſt: quocunque autem modo Deus cognoſcit rem, certus eſt, nam ſecundum illum ſciẽdi modum neceſſe eſt eſſe; vt Deus nouit eſſe euentum futurum, vt ſic, poſſe ſc. eſſe, & nõ eſſe, de neceſſitate effectus ille poterit eſſe, & non eſſe: vt verò agnoſcit effectum futurum extra ſuas cauſas, non poteſt, aut non eſſe, aut non fuiſſe: cum vtraque igitur Dei ſcientia ſit certiſſima, infert infallibiliter ſuum obiectũ, modo ſupra explicato: quare argumẽtum quod Seniores è ſuggeſtu declamitant, ſi Deus de contingenti futuro certus eſt, vt puta Iudam peccaturum, vel Iudas igitur poterit nõ peccare, vel non: ſi detur hoc, de neceſſitate dicetur peccaturus, quippe nõ poſſe non peccare

care conuertitur cum neceſſe peccare, & ſic tollitur liberum arbitrium, & peccatum per conſequens: ſi verò illud admittatur, error eſt, quî namque fieri poteſt, vt Deus certus ſit Iudam peccaturum, cùm poſſit hic non peccare? Argumentum, inquam, nullius eſt roboris, quia Deus non eſt, nec eſſe poteſt certus de peccato Iudæ, prout peccaturum illum reſpicit, & tempus in quo ipſe eſt in potentia ad facinus tale perpetrãdum. Nam hoc modo certus tantummodo eſt Iudam poſſe peccare, & non peccare: quoad verò reſpicit id temporis in quo Iudas committit vel cõmiſit peccatum, ita certus eſt de peccato Iudæ, hæc autem certitudo Dei libertati Iudæ nihil officit, quia Iudas non eſt amplius in potentia ad tale peccatum, nam ex hypotheſi iam conſummauit.

Secũda ratio pro Ciceronianis adducta ſic inferebat, ſi nouit Deus Iudam peccaturum, Iudas peccabit, ſed antecedens eſt ſimpliciter neceſſarium, ergo & conſequens.

Reſpondeo, antecedens, Deus ſcit Iudam peccaturum, in ſuo formali intellectu includere futurum, hoc autem, vt ſic, Deus non cognoſcit niſi contingenter fore, ſi agnouit igitur Iudam peccaturum, quà peccaturum, agnouit illum peccaturum cõtingenter, ſed

ex

ex iſto antecedenti nõ ſequitur Iudam peccaturum abſolutè,ſed contingenter,ex contingenti namque & poſſibili non ſequitur eſſe in actu.

Dices, conſidero Iudam peccaturum, vt Deus cognoſcit ipſam actionem peccati extra ſuas cauſas eſſe.

Reſpõdeo ex hoc non inferri Iudam peccaturum,ſed peccare,vel peccaſſe,quare neceſſitatem includit,vt dicitur 2.Periorm.ſed nihil hoc contra nos.

Tertia ratio, omne ſcitum à Deo neceſſe eſt eſſe,ſed cuncta nouit Deus, ea igitur de neceſſitate euenient.

Reſpondeo concedendo totum, euenient namque de neceſſitate prout Deus præuidit,verùm quia præuidit contingenter futura,ideò infallibiliter quidem euenient, ſed contingenter tamẽ & liberè. Explico:maior propoſitio vera eſt in ſenſu diuiſionis, & cõpoſitionis,nam futurus euentus, vel ſcitur à Deo,qua futurus eſt,& ſic cognoſcitur in facultate prout poteſt eſſe, & non eſſe, quare cõtingẽter erit neceſſitate:vt verò à Deo præ noſcitur tanquam extra ſuas cauſas,non poteſt non eſſe,aut non fuiſſe, quod conuertitur cum neceſſe eſſe; quare in ſenſu diuiſo vera eſt illa maxima, de ſenſu cõpoſito manifeſtum

nifeſtum eſt, quare repudiatis nugaciſſimis ſcholaſticorum diſtinctiunculis ſoluta remanet quæſtio.

EXERCITATIO XXV.

Continet tres aduerſus allatam ſententiam rationes, earumque diſſolutiones.

VIdere videor Scholaſticos hunc in modum aduerſus nos inſurgentes.

Primo, ſi de cõtingẽti futuro, vt tali, Deus ſolummodo nouit quod poteſt eſſe, non autem determinatè, notitiã non habebit etiam homine certiorem.

Reſpondeo, ſi conſideratur futurum vt eſt extra ſuas cauſas, Deo magis innoteſcere quam homini: illi namque continenti omne tempus, id præſens eſt, & per cõſequens determinatum. Homini, quòd temporis circumſcribitur anguſtiis, futurum quidem eſt, ſed indeterminatum: ſi verò ſumatur futurum vt futurum, non infitebor pari modo cognoſci à Deo, & creatura, non tamen illorum æquiparantur cognitiones in perfectione, nam quod Deus de futuro tanquam futuro nõ cognoſcat niſi quod poſſit eſſe, prouenit ex eo, quia aliter ipſum cognoſci impoſsibile eſt, quippe res cognoſci non poteſt aliter,

aliter, quàm patiatur natura rei, cùm natura futuri, quâ futuri, ſit cõtingẽs, nequit Deus illud cognoſcere, niſi tanquam in potentia ad eſſe. Si verò cognoſci aliter poſsibile eſſet, à Deo certè cognitum eſſet, qui omnia poſsibilia nouit: creatura autem ignorat determinatam partem contradictionis futuri, nõ ſolùm quia impoſsibile eſt, verùm quod, etiam ſi poſsibile eſſet, perfectè tamẽ & plene ab illa non cognoſceretur. Nec enim omnia quæ ſciri poſſunt, in cognitionem cadunt creaturarum, atqui Dei: Probationem à phyſico exemplo ſumamus, Quòd Deus non cognoſcat determinatum infiniti numerum, quemadmodum nec homo, non inde infertur, Dei, ac hominis pariter cognitionẽ ſimpliciter eſſe adæquatam, etſi ſecundum quid: non cognoſcit Deus, quod impoſsibile eſt: neque creatura, quia pariter impoſsibile, quod etſi poſsibile eſſet, ignoraret tamen. Cõſimiliter, etſi Deus non cognoſcat futura, vt ſic, niſi indeterminata, quẽadmodũ homo, vt ſunt tamen extra ſuas cauſas in æternitate repræſentata, determinata ad vnam partem contradictionis ab eadem agnoſcuntur. Non tamen eundem admodum ab homine.

Secundò ſic obiiciunt, Præuidere homi-

nem operaturum liberè, & non quid; agnoſcere eſt in genere, non in ſpecie, non igitur ſecundùm vltimam certitudinem. Confirmatur quia hoc modo ſcientia Dei foret indeterminata, quod diuinæ repugnat perfectioni.

Reſpondeo falſum aſſumi in argumento, cognoſcere contingens tantùm quatenus poteſt eſſe, non accedere ad certitudinis extremam lineam, attingit enim, qui cõtingentis naturam cognoſcit exactiſsimè: Atqui contingentis natura eſt, vt poſsit eſſe & non eſſe, ergo qui de contingenti tantummodo habet cognitionem hanc, quod eſſe poſsit, & non eſſe, abſolutiſsimam illam habet.

Exempli gratia. Volens ego cognoſcere Titium, vt animal eſt, cognoſcendo illum eſſe ſubſtantiam ſenſitiuam, & non rationalem, certiſſimè illum cognoſco quatenus animal eſt, Ita Deus cognoſcens futurum vt tale, poſſe euenire & non euenire, cognoſcit illud perfectiſſimè, licet determinatam partẽ cõtradictionis ignoret, cùm natura futuri id nõ exigat; imò ſi de futuro, qua futuro, aliã Deus haberet notitiã, quàm iſtã, poteſt eſſe, & non eſſe, imperfectè ſanè & falſò futurum cognoſceret, quippè ſecus quàm natura cognitæ poſtulet rei, quod eſt impoſſibile

bile. Si Deus igitur futurum, vt futurum, cognoſceret determinatum, futurum certè vt futurum Deo cognitum non eſſet: futurum enim in ſuo intrinſeco conceptu Cōtingentiam includit, non determinationem, nam quando determinatur, non amplius futurum dicitur, ſed præſens, vel præteritum.

Ad cōfirmationem dico, inderterminationem tenere ſe ex parte obiecti cogniti, non autem cognitionis diuinæ, quæ cognoſcens de contingenti, quod poteſt eſſe & non eſſe, certiſſimè idem abſolutiſſiméque cognoſcit, cùm aliud non exigat ipſius contingentis natura, quemadmodum ſciens fortunam eſſe cauſſam indeterminatam, accuratiſſimè illam cognoſcit.

Dices, Deus cognoſcens futurum in ſuis cauſis, cognoſcit eſſe indeterminatum, poſteà cognoſcens extra ſuas cauſas, determinatum eſſe agnoſcit, Ergo Dei cognitio ſub mutationem cadit, cùm ex indeterminata fiat determinatá.

Reſpondeo aſſumptionem eſſe falſam, nec enim Deus aliquando futurum cognoſcit indeterminatum, aliquando determinatum, Sed vtrumque ſimul & ſemel, ſecundùm tamen diuerſam rationem, quâ contingens, ſcit eſſe indeterminatum: quâ verò

extra ſuas cauſas, determinatum: quemadmodum cognoſcens hominem eſſe animal rationale, ſcit ipſum eſſe determinatum, & indrerminatū, hoc, quâ animal eſt, illud, quâ rationale: licet autem tempus, in quo contingens eſt indeterminatum, diuerſum ſit à tempore, à quo determinatum eſt, quia tempus eſt continuum, in quo partes de neceſſitate ſunt impoſſibiles: apud æternitatem tamen, quę omnes temporis excedit limites, & terminos, & omne in ſe complectitur tempus, nulla viget ſucceſſio, omnia namque in ea ſimul verè exiſtunt. Cùm igitur Deus ſimul videat ipſum contingens indeterminatum, & determinatum, quoniam vtrumque tempus ei præſens eſt, nulla afficitur mutatione.

Tertio ſic obiicere poterunt Scholaſtici. Si Deus indeterminatè cognoſcit futura, vt futura, determinatè verò quâ præſentia ſunt & extra potentiam, Ergo aliter cognoſcit futura, quàm præſentia, quod D. Aug. aduerſarium eſt, qui in lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 12. ita ſcriptum reliquit, *Deus temporaliter mouens temporaliter non mouetur, nec aliter nouit facienda, quàm facta, nec aliter inuocantes audit quàm inuocaturos videt.*

Reſpondeo, D. Auguſtini verba explicanda

da eſſe quoad potentiam, & actionem, eadem namque potentia, eodemque actu contingentia cognoſcit Deus & neceſſaria, non tamen quoad eandem cognoſcendi rationem: Hanc enim ſi in Deo vnam, eandemque eſſe concederemus, idem & neceſſarium, & contingens dicere neceſſariò cogeremur, quippè ex communi Theologorum, & ipſius Auguſtini ſententia, ſcientia Dei cauſat res. Quare aſſerimus de futuris, ac præſentibus vnam, eandemque reipſa ineſſe in Deo cognitionem, diuerſam tamē cognitionis eſſe rationem, quemadmodum intellectus, & voluntas in Deo ſunt vnum, & idem, alia tamen ratio intellectus eſt, alia voluntatis, quippè per illum Verbum, per hanc verò Spiritus Sanctus producitur.

EXERCITATIO XXVI.

Epicureorum declarat opinionem, & rationem.

EGimus de Prouidentia Dei aduerſus Atheos, qui omnem penitùs ſuſtulerunt diuinitatem. Nunc aduerſus Epicureos diſputandum nobis eſt, qui cùm Deum eſſe admiſerint, illius prouidentiam circa hæc inferiora negarunt.

Cuius ſententiæ authores fuere duo Democritus, & Epicurus, Sectarij complures affirmantes Deum eſſe, qui in ocio & voluptatibus vitam agat longè beatiſſimam, non autem cui noſtratia curæ vlli ſint. Idque cõprobare duabus rationibus nõ sũt veriti.

Prima. Si Deus eſt noſtri prouidus, non eſt ſummè beatus, at ſummè beatus, noſtri igitur prouidus non eſt.

Sequelam maioris probabilem faciebant hoc medio, Beatitudo in voluptate conſiſtit, prouidentia in huius priuatione & carentia, ſi igitur in Deo prouidentia eſt, beatitudo nullo modo poteſt eſſe.

Maior patet, Nam omne animal ſimulatque natum eſt, voluptatem appetit, eaque gaudet vt ſummo bono, quare voluptas dicta eſt à latinis quod omnes voluntatis propenſione tanquam bonum eã expetant. Minor manifeſta eſt, quia Epicurus non alias agnoſcebat voluptates, quàm palatus titillationem & Veneris. Hinc Epicurei poëtæ Summi Iouis ſummas delicias eſſe arbitrabantur Nectar, & Ambroſiam, & Ganymedẽ pocula miniſtrantem: prouidentia verò cõſiſtit in vigilantia, & ſobrietate, quæ gulæ & Veneri ex diametro repugnat.

Secunda probatio hęc erat. Nihil eſt quod

co

cogat affirmare Dei prouidentiam, niſi fortè quã prætendunt alij, animorũ noſtrorum immortalitas, at hæc nõ datur, nec illa igitur.

Maior probari poſſet ex Paulino contextu, *Nunquid Deo cura eſt de bobus?*

Minorem probare conantur moderni Athei ex pluribus.

Primo. quia videmus homines, & bruta eodem modo concipi, formari, naſci, ali, augeſcere, conſeneſcere, & interire, ſimilibus conſtare partibus internis, atque externis, hæ autem ſingulæ conſimiles retinent vſus in vtriſq; ſuppoſitis: quare ſi anima euaneſcit in bruto intermoriente, pariter & homine.

Secundo, neceſſariò omnia quæ creata ſunt, intereunt, at anima à Deo creata eſt, intereat igitur aliquando neceſſum eſt.

Tertio, quia ex mortuorum regno nullus eſt ad nos reuerſus vnquam, quod ſi anima eſſet immortalis, ad Atheiſmum condemnandum vnam aliquando remiſiſſet.

Vltimo, quia animi immortalitatem doctiſſimi viri pernegarunt Ariſtoteles, Seneca, aliique veteres Philoſophi; ex recentioribus Pomponatius, Cardanus ætatis noſtræ facilè principes. Alij verò etſi ob metum Hiſpanicæ, & Italicæ Inquiſitionis ore cõfiteantur, operibus tamen ipſis abnegare non

erubeſcunt. Pleroſque enim, quò ſunt doctiores, litteratioreſque, eò magis epicuream inſectari vitam videmus, quod nullius ſanè religionis argumentum eſt.

EXERCITATIO XXVII.

Epicuream Sententiam confutat ex ipſius fundamentis.

PErabſurda quidem ſententia errorum omnium abſurdiſſimorum ſentina. Nam quid eſt dicere Deum eſſe, & nõ cunctis maximè hominibus prouidere, niſi ignẽ eſſe, & nõ calefacere? cum aliud nõ ſit Deus quàm cuncta prouidens, cunctis proſpiciẽs, fouenſque, mouenſque, atq; ſupercilio gubernans.

Secundo, ſi Deus eſt, infinitæ eſt potentiæ, vbiq; igitur ſit neceſſe eſt, cumque cœcus non ſit, neque ſurdus πάν τ' ἐφορᾷ ϗ πάντ' ἐπακούει. Omnia videt, & inaudit, non igitur in vmbra & otio ætatem tranſmittit, vt Epicurei ſomniabant.

Tertio, Epicureorũ Deus eſt ſummè beatus, ſummè igitur operatur. Cõſecutio probatur hoc modo, Beatitudo dicitur ſummum bonum, quod ſua natura eſt communicatiuum, id autem eſſe nequit ſine operatione

tione, quare ſi Deus Epicureorum eſt otioſus, non eſt communicatiuus, ſi non communicatiuus, neque ſummè bonus, neque, quod inde conſequens ſit, ſummè beatus, atque adeò omni exuitur Deitate: Implicatoria igitur includit Epicureorum doctrina, ſtatuens Deũ eſſe,& ſine operatione. Quare ſcitiſſimè apud Lacedęmonios omnes Deorum ſtatuæ armatæ ponebantur, cur ita fieret, Charillus ſiue Charilaus interrogatus, *Ne*, inquit, *probra, quæ ob ignauiã in homines iaciuntur, in Deos transferamus, neve Iuuentus niſi armata Deos comprecetur.* Sed hæc, quod Machiauelliſmum ſapere mihi vidẽtur, longiùs ne perſequamur. Tantùm abeſt vt Otium,& Venus de Diis prædicentur, vt Alexander Magnus cum à plurimis Deus audiret, Ego verò mortalẽ me eſſe intelligo vel ex duobus ex ſomno nimirum, quia tunc otioſus ſum,& à coitu, reſpõderet. Et Ioãnes Baptiſta pater meus, quem honoris cauſa nomino, à medicis admonitus morti ſe eſſe proximum, vt ad immortalitatem otij expertem & inertiæ anhelabat, è lecto ſeſe proripuit ilicò, *Non decet*, inquiens, *me niſi ſtantem mori.*

Vltimo hæc ſententia falſiſſima, & abſurdiſſima, labefactatis iis, quibus innititur fundamen

damentis, quaſi eodem conuulſa motu, concidat neceſſe eſt.

Primum iactum erat ſuper hanc ſtultam planè opinionem, Deum triſtitia, moleſtiaque affectum iri, ſi mundum regeret, & gubernaret. Deus igitur Epicureorum paſſionibus eſt & alterationibus obnoxius, & à materia non alienus, hæc enim illarum eſt ſubiectum, & quod hinc conſequitur, corruptibilis eſt fungi inſtar aut Scarabæi.

Secundum, quia nullã agnoſcebat voluptatem in adminiſtratione orbis, cùm vel in ea politicam quoque conſiſtere fœlicitatem plerique non ineptè cenſuerint: Dionyſium hic appello, voco teſtem Agrippinam Neronis matrem; Ille cum ſub initium Regni ſui, regia à quibuſdam, qui in ipſius conſpirauerant necem, obſideretur, & aliqui ex amicis autores illi eſſent ad imperium deponendum, ni mallet cum imperio miſerè mori, quàm ſine imperio priuatus quietè tranquilléque viuere, conſpiciens bouem à coquo pulſatum, illico concidere, cùm mors, inquit, adeò breuis ſit, an non abſurdum fuerit nos metu mortis tale regnũ relinquere? Hæc verò cũ à Genethliacis Chaldæis accepiſſet, imperaturum quidem filium, ſed fore vt matrem occidat, *occidat*, inquit,

quit,*dum imperet*; quantam regnandi dulcedinem eſſe iudicarunt, qui vel morte benè emi crediderint principatum.

Tertium, quia ſummum otium ſummas delicias eſſe ducebat,cùm tamen illæ aliud non ſint quàm operationis perfectiones, vt inquit diuinis ingenij frugibus abundans Ariſtoteles lib. 10. Ethicorum c.4. beatitudinem:appellans εὐπραξίαν bonam nimirum operationẽ:Vbi adnotandus eſt obiter Cardani error, qui dum de intellectu ſcripſit(ſi aliquid intellexiſſet,tam ſtultè nunquã ſcripſiſſet)*omnis*, inquit, *intellectus gaudet ſempiterna quiete*, imò ſempiterno motu dicit Vaninus. Materialia poſt laſſitudinem quiete gaudent,quæ mobilia ſunt, quieſcunt libenter in ſuo loco,mouentur enim vt quieſcãt. Intellectus autem perpetuo in opere eſt,non vt quieſcat,ſed vt æterno vigeat atque exerceatur motu,Quid enim Dei cognitio aliud eſt atque amor ex eadem proficiſcens,quàm inexplebilis adhæreſcendi infinitati ipſius appetitus? Hæc agitatio tantùm abeſt, vt quies ſit, nullum vt videatur vnquam finem habitura:quo enim tempore expleuerit curſum illum, qui omnes temporis excedit anguſtias? Cardani autem ratio perridicula eſt & exſibilanda potius quàm refutanda: ait enim

enim *ſubtiliſsima aut mouētur vt cœli, aut ſemper quieſcunt vt intellectus: intellectus autē eſſentia, ſubſtātia eſt, ideo quieſcit*: quaſi verò cœli eſſentia non ſit ſubſtantia; Adhæc intellectus vbi non quieſcet, non erit eadem ſubſtantia, ſi quieſcit ſemper, quia talis ſubſtantia eſt.

Quartum erat fundamentum, ſummum bonum cōſiſtere in cibo, potione, & obſcœna voluptate. quod non ſpinoſis quibuſdam contortiſque argumentatiūculis, ſed neceſſariis euertam demonſtrationibus. Voluptatibus illis triſtitia comes & præit, & adiūcta eſt, & ſubſequitur: præit, delectatio enim neceſſariò eſt in aliquo ſenſu, ſenſus autē omnis cum mutatione, mutatio verò ex contrariis exoritur: Delectatio igitur ex mutatione mali in bonum naſcitur, malum ergo antecedat neceſſe eſt: quis ex eſu voluptatem abſque fame, ex potu abſque ſiti vnquam percepit? ex venereo verò actu non præcedente tentigine? Socrates eo die, quo venenum hauſturus erat, cùm detractis cōpedibus ex frictu ſenſiſſet aliquid oblectamenti, exclamabat, quàm mirè hoc naturâ comparatum eſt, vt res duæ, tam inter ſe diuerſæ, tam reciproco mutuæ coniunctionis nexu conglutinentur, voluptas, & dolor, niſi enim moleſtia præceſſiſſet, hoc non ſentiſcerem

quantulumcunque voluptatis: Hieron. Cardianus in lib. 12. de ſubtil. c. de hominis natura, aſſerit ex doloris imaginatione venerẽ excitari, quod Ioannes Picus Mirandulanus in lib. 3. aduerſus Aſtrologos cap. 22. confirmat exemplo cuiuſdam, qui non niſi accerrimis verberibus pulſatus, ad coitum diſponebatur: cauſam verò vterque, ignarus fortaſſe, ſubticet, nos in Philoſophiæ adytis ſecretioribus adinuenimus, quia imaginatio cùm ſit apprehenſio, recipit intellectus ſpeciem doloris: quare refugiunt ſpiritus ab illa triſti ſpecie, atque ſeſe abdunt in receſſus interiores, vnde flatus fit.

Concomitatur item & adiuncta eſt voluptatibus illis triſtitia, nam vt à cibo, potuque exordiamur, abſque Cerere enim & Baccho friget Venus, pariunt illam nobis delectationem ſuis ſaporibus, hi autem omnes iniucundum aliquid admixtum habent: Sapores in vniuerſum ſunt hi, Inſipidus, adſtringens, acerbus, acidus, acris, amarus, ſalſus, pinguis, & dulcis. Inſipidus cũ nihil agat in linguam, ſaporis potiùs dicit priuationem, hinc inſipida, quæ nullius ſunt ſaporis, vocamus. Adſtringẽs cum non ſit alius, quàm acerbus imminutus, & per conſequens à frigore immoderato in craſſa ſubſtantia productus, ſaporem

porem non retinet, non enim à ſolo frigore vllus ſapor, vt nec odor in humido. Acerbus exoſus eſt, quod linguam maiorem in modum aſtringit, quare ſoluitur continuitas, fitque dolor. Acidus mordet linguam magis quàm acerbus, aſtringit ob frigus minimas linguæ partes, nam tenuitate ingreditur intima linguæ, & ob id acidus ſapòr maximè lædit ventriculum, quia tenuitate penetrat, & ſubſtantiam eius exanguem permultum refrigerat. Acris corrumpit ſenſum, vnde qui à pipere afficiuntur, dolorem ſentiunt potius quàm ſaporem, cúmque acris ſit immoderatè calidus, dilatando ſoluit linguæ continuitatem, & ob id cæteris ſaporibus eſt moleſtior. Amarus ſenſui eſt ingratiſſimus, tùm quia in vnum extremum declinat, extrema verò vitioſa omnia, tum quia ſiccitatis habet nimium, præ cæteris autem animalibus homo, & eius præcipuè lingua humido delectatur, vtpotè quia eo ſolo nutritur, quare amarus ſapor in extremo eſt non ratione ſolùm ſubſtãtiæ, ſed etiam operationis, caret namque ſaporum fine, qui nutritio eſt, nullum autem amarũ nutrit, quinimò aliorum eduliorum nutrimentum depaſcitur, eſt enim amarum ſiccius, & aridius, & ob id quoque craſſius, quia magis ter-

reum,

reum, fit enim ex illo abſumpta tenuiori parte: ex ſalſo igitur excocto fit amarum, diſſlato humido: Salſus autem ſapor ob calorem lædit, quoniam mediocri materiæ eſt adiunctus, hinc & linguam dilatat, fierique acri ſimilem quandoque aduertimus, nam materia vlterius producta in amarum tranſit, ſui verò copia nimia, in acri ſimilem: Si quis enim plus æquo ſalis obſoniis immiſceat, ardorem piperis ſimilem acrimoniæ perſentiſcet, non tamen ex toto quod acre in tenui ſubſtantia, ſalſum verò in mediocri conſiſtat. Ideóque acre vehementius pungit linguam, ſalſum diutiùs: ſi verò ſalſum non quantitate, ſed caloris vi adaugeatur, ſubamarum fiet. Pinguem ſaporem iniucũdum eſſe oſtendit nauſea, quam ex ipſo concipimus, quinimo pingue ſapor nõ eſt, ſed affectus, ſicut eius contrarium macies eſt, quis autem maciem appellet ſaporem? nec pinguedinem igitur. Dulcis dũtaxat ſapor gratus eſt atque iucundus, quoniam à calore proficiſcitur moderato, in tenui & mediocri ſubſtantia: attamen dulcia ſola ſi ſumantur, nauſeam gignunt non mediocrem & ſæpenumero (honor ſit auribus) ad vomitum prouocant: ſi amaris adiungantur, nauſeam pariunt maiorem, nã dulce ad ſe rapit

ſenſum,

ſenſum, ingrediturque quaſi eo aperto amarum,læditque magis.

Edulia inſuper niſi ipſe odor quoque gratus ſit, exiguam ſanè afferunt delectationem, quare mucum habens in naribus, nullam ex pretioſiſſimis eſculentis, aut poculentis percipit voluptatem, quia odorem non perſentiſcit. Dulcia verò perparum olent, quia moderato fiunt calore in tenui, & mediocri ſubſtantia, magnam autem oportet eſſe concoctionem ad odorem producendum. Adhæc ſaporum finis nutrire eſt; Dulcia verò ad nutriendum parum conferunt, quippè non multum concocta ſunt, quare mel licet dulciſſimum, per mediocriter nutrit, quod ſi lac, cũ dulce ſit, copiosè tamen nutriat, nego vt integrum eſt purum, vbi verò pars aquea ſecernitur, fitque butyrum, concedo, ſed tunc ſaporem habet pinguem potiùs quàm dulcem. Concludamus igitur voluptates eſculẽtas & cõcomitari triſtitiam, & ſubſequi, repletus enim & effarcitus venter cum moleſtia, & fœtore exonerandus eſt, & *multos morbos fercula multa ferunt*, ſcripſit Sen. 10. Rhetor. c. 17. *Cibus varius* inquit Hippocr. lib. 1. Aphoris. Aphoris. 14. *morbos generat*, ſubdit rationem, *turbulenta enim & inæqualis eſt eius concoctio*,

quare

quare ego dicere ſum ſolitus *plures occidit Gula quam gladius.*

In ipſo autem venereo complexu triſtitiam quandam ineſſe demonſtro, peracto namque ludibrio quilibet contriſtarunt, & triſtitia illa in ſummo eſt, vt experti referunt, nequit autem in ſummo eſſe, niſi fuerit prius in aliquo inferiori gradu, in ipſo igitur coitus actu triſtitia eſt, quamuis à coeuntibus tanquam œſtro quodam percitis, & à mente abſtractis non percipiatur: Subſequitur autem ipſum actum triſtitia maxima, quod coeuntem pudeat in fœtidos cloacarum receſſus ſeſe immiſiſſe, quare cauta magiſtra natura, ne animal ab opere abhorreret, venereæ turpitudini quoddã adiunxit incendium, vt penè à nobis alieni eò impellamur: contriſtatur etiam propter deperditas vires, quia id quod venere exprimitur robuſtiſſimum quid eſt inquit Hippocr. in lib. de Genit. & in lib. 4. de morbis, plurimum namque (ſubdimus nos) effunditur ex arteriali illo ſanguine, atque puriſſimo ſpiritu, quod ita generatio opus habet, propter quam Venus ipſa inuenta eſt, Dixi plurimũ quia homo p̱ æ cæteris animalibus proportione ſui corporis plurimũ emittit ſeminis, hinc fit, inquit Ariſt. ſect. 4. probl. 6. vt ipſe

præ reliquis maximè langueſcat in coitu, colliquat Venus corpora, cerebrũ offendit, tremulos facit neruos, ſeniũ accerſit immaturũ, oculoſque in primis debilitat. Quare Pythagoras interrogatus, quando eſſet cum fœmina congrediendum, reſpondit, quando voles teipſo fieri debilior: itaque olim Atletæ fuere nonnulli qui roboris conſeruandi ergo, ab vniuerſo veneris vſu abſtinuere, vt refert Plato in lib. 8. de legibus, & Galenus permultis in locis.

Faceſſant igitur Epicurei & deſinãt tandem aliquando corporis voluptates ſummum bonum appellare, cùm appetitio ipſarum plena ſit anxietatis, poſſeſſio triſtitiæ, ſatietas verò pœnitudinis.

Ad hæc, ſi vera eſſet Epicuri ſententia, lõge ſanè fœliciòr foret Gallus gallinaceus, qui gallinas confertas ſecum habet, iacentes habet, promptas & immotas habet, inſiliat, ſi lubet, licet, ſine precibus, ſine pretio, ſine vlla pœnitudine, ſiquidem à coitu lætus canit, cùm enim animal ſit ſemine pleniſſimum canit propterea, quia non reſoluitur, ſed exoneratur.

Gallinæ quoque guſtu tantopere præſtant hominibus, & antecellunt, vt ſine ſucci expreſſione vlla ſtatim quæ roſtro vel leuiſſimè

mè tetigerint, digna ſentiant indignave, ab ipſis deglutiantur. Nec guſtu ſolùm, ſed cæteris quoq; ſenſibus, qui voluptatum ſunt arbitri, hominibus cęteræ ſunt animantes præſtantiores, Simia odoratu, Vulpis auditu, Canis auditu ſimul & olfactu, Aquila viſu hominẽ multis ſuperat paraſangis. Tactum ſolummodo perfectiſſimum, ſubtiliſſimumq; hominem habere Cardanus exiſtimauit lib. 12. de ſubtil. cap. de Hominis natura: At meo iudicio in hoc ſenſu homo quoque ſuperatur ab animalibus, quæ vulgò imperfecta vocamus, quare arbitror, limaces, oſtreaſq; tanto vegetiore tactus pollere ſenſu, quanto citius detectus, nudatuſq; ſentit neruus, quam cute obductus, faciliùs itaque hæ ſentiant animantes, quæ tenuiore quàm homo cute cooperiuntur, neceſſe eſt. Cardanus autem reſipuiſſe videtur in lib. de rerum variet. cap. de homine. vbi ita dicit: *Homo in omnibus sẽſibus ab aliquo vincitur, animali, neque enim cernit vt Aquila, nec tactu tam tenui eſt quam Aranea, nec acutum odoratum habet vt canes, qui feras inſectantur, quas ſolo percipiunt olfactu.*

Vltimus, ac præcipuus Epicureæ ſectæ cardo erat animorum mortalitas. complures Chriſtiani Doctores ſuper hoc argumento

aduerſus Atheos ſcripſerunt, adeò tamen friuolè, & inſulsè, vt maximorũ etiã Theologorum commentarios perlegenti dubitatio oboriatur de veritate: Ingenuè fateor animæ immortalitatẽ ex Phyſicis principiis demonſtrari non poſſe, cùm ſit articulus fidei, carnis enim credimus reſurrectionem, non autẽ reſurget corpus ſine anima, quove modo anima erit, ſi non erit? Ego Chriſtianus nomine, cognomine Catholicus niſi ab Eccleſia, quę veritatis eſt certiſſima, & infallibilis magiſtra, edoctus eſſem, animam noſtram immortalem eſſe vix crediderim, quod dicere non erubeſco, ſed glorior, nam adimpleo Paulinum præceptum, captiuans intellectum in obſequium fidei, quæ in me validior eſt, innititur enim huic principio, Deus dixit: quare & Sanctiſſimus Pater Auguſtinus in lib. 4. de Bapt. cap. 24. *Euangelio, inquit, nõ crederem, niſi Eccleſiæ me commoueret authoritas.* At in Euangelio reprehenduntur Saducæi, qui animi immortalitatem negabant: Ne autem ignorantiæ vitio id mihi vertatur, ſubtiliſſimis à me excogitatis rationibus animæ immortalitatem propugnabo.

Prima ſit hæc, nullum ſimplex reſoluitur in ſua principia, nullis enim componitur

principiis, ſed anima eſt ſimplex, ergo nõ reſolubilis in partes.

Minor patet, apud Ariſtot. enim anima eſt actus, nullus actus eſt potentia, non igitur compoſita eſt, quia (vt alibi docuimus) compoſitum eſt potentia, partes verò actus. Præterea ex Ariſtot. Anima eſt principium eſſendi, & agendi, Ergo non eſt compoſita, quia ſi eſſet compoſita, eius partes eſſent principia.

Secunda. nulla natura cœleſtis corruptioni obnoxia eſt, anima eſt natura cœleſtis, ergo corruptione nunquam conſeneſcit. Minor probatur. quia ex Ariſtotele anima eſt ἐντελέχεια corporis, & actus materiæ, nõ igitur ipſa ex materia: at materia nihil aliud eſt quã elementa quatuor, ergo ex his anima conflata non eſt, quinta igitur natura, & per conſequens res cœleſtis: quare grauiſſimè hallucinatus eſt Alexãder, dum animã ex quatuor elementis compoſitam, conglutinatamque affirmauit, nec modo ſapientiſſimo, diuiniſſimoque Præceptori Ariſtoteli appellanti animam actum elementorum contradixit, ſed etiam ſibimetipſi, aſſerit enim, & rectè id quidem, in anima eſſe facultates ad mouendum ſe antrorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, hæ autem in nullo elemento

ſunt,ergo non ex elementis anima conflata eſt, nihil eſt enim in re quapiam quod non fuerit actu quoque in eiuſdem principiis, principia namque ſunt actus eorũ, quorum ſunt principia, Minor quoque ex Ariſtotele probatur, qui in 2.de generat.animal.animã adeò agnoſcit diuinã, vt nefas putarit illam ſine medio dicere corpori corruptibili connexam,quo videlicet hoc eidem conciliaretur: Illud verò medium cùm cœleſte quoddam corpus dicat eſſe, idem de anima ipſa ſenſiſſe manifeſtum eſt.

Tertia. ex nihilo nihil fit, Ergo animam immortalem dicamus oportet. Conſecutio probatur ſubtiliſſimè. Si non fit aliquid ex nihilo,ex aliquo non fit nihil, at ſi anima interiret, ex aliquo fieret nihil, cùm enim ſit ſimplex,neque in principia(nullum enim habet) reſoluatur, ad nihilum neceſſariò redigetur.

EXERCITATIO XXVIII.

Argumenta diſſoluit Epicureorum.

PRimum erat id: ſi Deus eſt noſtri prouidus,non eſt ſummè beatus, Conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Reſpondeo negando ſequelam maioris. Proba-

tio

tio illa, beatitudo conſiſtit in corporeis voluptatibus, falſa eſt, vt patet ex dictis, naturaliter autem appetimus voluptates, vt bonum ſunt quoddam apparens, non verum, nedum vt ſummum bonum: quare non pro vltimo fine, qui ſummi boni, quod beatitudo eſt, vices præſtat. Nec obſtat nobis illa notatio, & Etymologia, qua à voluntatis inclinatione ad eandem tanquam bonum quoddam, voluptatem dictam comminiſcuntur, quando de animi voluptate magis quàm de corporis prædicari poteſt, ſimiliter enim veteres cùm ad ſimplicitatem propenſi eſſent, à dolo quē omnium rerum maximè deteſtabantur dolorem dicendum putauerunt.

Secundum. Nulla eſt ratio quæ cogat adſtruere Dei prouidentiam niſi animorum immortalitas, at hæc non datur, nec illa igitur. Maior falſa eſt, quippè prouidentiam in hæc inferiora agnoſcimus, & confitemur. non ſolùm quia animo immortales, ſed quia Dei creaturæ ſumus: quare & ad brutas animantes & ipſas plãtas, quæ fluxæ & caducæ ſunt, eam extendimus. Ex Paulino autem contextu; Deo curæ non eſt de bobus, ad prædeſtinationem ſcilicet, vocationem, iuſtificationem, & glorificationem, at copioſè ad procreationem iuxta & conſeruationem

corundem, à primo namque ente dependet omne ens quoad ſubſtantiam, & operationes.

Minor etiam falſa eſt, vt patet ex dictis, nec obſtant in contrariũ adductæ rationes.

Prima, concipimur, naſcimur, viuimus, & morimur, vt bruta, Ergo eiuſdem ordinis, dignitatiſque anima eſt in vtriſque, quare ſi illorum anima mortalis eſt, & noſtra quoque: Reſpondeo falſam eſſe conſecutionem, concludit enim de corpore ad animam, quæ duo plurimum à ſe inuicem diſtãt; ex diuerſis autem non fit illatio: Corpus quidem humanum beluino perſimile eſt in multis, & fermè in omnibus, quare parem vtriſque finem, & exitum futurũ credibile eſt, mortis ſcilicet & interitus. Mente autem ſeu intellectu æterno ſanè illo, vt probauimus, à beluis differimus: Harum namque cognitio vt ſenſualis ad vnum determinatur: hinc auiculæ eadem ſemper forma nidum conſtruunt; noſtra verò vt ſpiritualis ad plura refertur, & in vnoquoque objecto diuerſas aduertit boni, malique rationes.

Secunda, omnia quæ orta ſunt aliquando occidant neceſſum eſt, Anima aliquando orta eſt, occidat igitur oportet, Reſpondeo falſam eſſe maiorem, etſi enim omnis res

creata

creata aliquando poſſit interire. nam quod non habet cauſam eſſendi à ſeipſo, poteſt naturâ ſuâ non eſſe, Deus tamen eandem quo minus deſinat ſiue intereat, conſeruare poteſt: Explico, Omne quod eſt, aut eſt primũ principiũ, aut à primo principio. Vnum verò duntaxat primum eſt, ab eo igitur cætera omnia dependeant neceſſarium eſt, Ergo omniâ naturâ ſua, excepto vno, corruptioni ſubjecta ſunt, quamuis enim entia ſint abſoluta à ſubjecto, & termino, nequàquam tamen ab ipſa cauſa abſoluta ſunt; Sunt igitur per aliud, & ab alio; At omne dependens, ab eo, à quo dependet, ſi eſt voluntarium principiũ, mutari poteſt, quare ipſæ quoque mentes immateriales, etſi ponuntur à Peripateticis coæuæ, & coæternæ Deo, prout tamen à primo depẽdent, vnico ipſius primi nutu ab ea deiici poſſunt & dimoueri eſſentia, in qua ab illo conſtitutæ primitùs ſunt; ſi enim non poſſent, haberent in ſe aliud principium reſiſtendi illius infinitati, & per conſequens ipſum illud principium non eſſet. Non corrumpuntur autem, quod ſic Deus non velit. quare Plato in Cœleſti illa ſcena Timæi, Patrem, & conditorẽ Deorum ſic introducit loquentem; *O Dij Deorum, quorum opifex idem paterque ego: opera ſiquidem*

vos mea, naturâ diſſolubilia. Et B. Aug. in lib. 3. contra Maxim. cap. 12. & in Ep. ad Dioſcoridem circ. med. aſſerit Angelos ab omni alienos corruptione ex gratuita Dei beneuolentia.

Tertia Ratio erat; nullus vnquam è mortuis reſurrexit, ergo anima eſt mortalis. Reſpõdeo negando antecedens (teſtantur enim omnino contrarium tum ſacra pagina, tum etiam eccleſiaſtica hiſtoria) & prætereà conſequens, poteſt namque anima eſſe immortalis, & ſi corporum reſurrectio omnino nulla daretur. Ipſa namque à corpore ſeparata, per ſe poteſt exiſtere, cùm non ſit in ſtatu violento, quandoquidem aſſecuta iam eſt ſtatum eminentiorem, & diuinæ propinquiorem naturæ. quinimò ſi eſſet in ſtatu violento, cùm nullum violentum perpetuum, reſurrectio debita naturæ eſſet ordini, hinc veteribus Philoſophis animam eſſe immortalem exiſtimantibus non fuiſſet abſcondita, neque myſterium fidei foret apud Chriſtianos.

Ad probationem, ſi anima eſſet immortalis, mortuum aliquem Deus reſuſcitaret deploratiſſima hac deprauatiſſimaque tempeſtate, vt qui nunc graſſatur Atheiſmus, extirparetur funditùs, ſtirpitúſque eradicaretur

retur

retur. Reſpondeo negando aſſumptum, nam in parabola ſeu hiſtoria potiùs Euangelica diues apud inferos ita lamentàtur. *Rogo te Pater Abraham, vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum: & ait illi Abraham, habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos. At ille, non Pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit, Pœnitentiam agent: ait autem illi, ſi Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Luc 16. Adhæc, opus non eſt, nam quos ab æterno Deus ad gloriam prædeſtinauit, ſine nouis miraculis animæ immortalitatem credere certum eſt; Atheos reprobos non curat Deus, quos ipſe diuinus figulus in vas formauit contumeliæ, vt inquit Apoſt. ad Rom. 8.

Vltimum argumentum deſumebatur ex doctiſſimorum virorum authoritate, qui animæ immortalitatem negarunt, vt Ariſt. Seneca, Cardanus, & Pomponatius; Reſpondeo. ſi authoritate certandum eſt, proculdubio aduerſarij in hoc campo ſuccumbent, quicumque enim aliquo doctrinæ claruerunt ſpecimine, vt ſapiẽtes Hæbreorum, Chaldęorum, Ægyptiorum, Indorum, Gallorũ, quos Druidas vocabant, Pythagorici, Platoni

Platonici, & Stoici animam crediderũt immortalem ; Quæ ſit Ariſtotelis ſententia, Philoſophi certant, & adhuc ſub Iudice lis eſt. Senecam negaſſe animi immortalitem exiſtimat Pomponatius in lib. de Fato:aliter tamẽ mihi videtur,nam ep.80. ad Lucilium hæc ſcribit, *Surſum animum vocant initia ſua, erit autem illic etiam antequam hac cuſtodia exoluatur, ſi vitia ſua deſeruit, puruſque, ac leuis in cogitationes diuinas emiciat.* Pomponatius quidem & Cardanus plurimis imbuti diſciplinis & ſcientiis fuere, tantum autem abeſt vt nobis aduerſentur, vt etiam de immortalitate animæ vterque opus quoddam conſcripſerit: Ego quidem quid, aut quomodo ſcripſerint, me ignorare non infiteor inuitus, nec enim vnquam ipſorum hæc opuſcula in manus meas venerunt, nec in ipſis Francofordianis nundinis, multominus in Lutetianis,aut Lugdunenſibus officinis potuerunt reperiri, impreſſa tamen accepi Baſileæ. Neſcio an fortaſſis imitiati ſint Agrippam, qui de Dæmonibus inuocandis, coniurandisque tot compoſuit libros, cùm tamen ipſe peſſimus nebulo reliquorum inſtar quos & Necromantiſtas vulgus appellat, nullos omnino Demones eſſe aſſeuerarit,vt in lib.de vanit. ſcienſ: & in 1. quoque

tomo

tomo inſinuat: vel certè Epicurũ ſecuti, qui, teſte locupletiſſimo Tullio, libros quoſdam edidit de pietate, & Religione erga Deos, cùm tamen idem ipſe doceret, Diis nos neque hæc inferiora curæ eſſe. Addebatur in calce argumenti viros ſapientes vitam ducere Epicuream, ac proinde de animorum immortalitate nõ, prout par eſt, ſentire. Verum eſſe antecedens exiſtimauit Cardan. qui lib. 12. de ſubtil. cap. de hominis natura, fol. 467. *Sapientes* (inquit) *cùm calidiſsimi ſint natura atque humidiſsimi, niſi philoſophia proficiant, peſsimi omnium ſunt, calore euadunt crudeles, doloſi, inconſtantes, & iracundi: humido verò enerues, delitiarum amatores, guloſi, & libidinoſi: adiuuat ad hæc perpetranda induſtria, quam ex ſtudiis acquiſierunt, & melancholia, quæ reſoluto humore pinguiori gignitur ex ſuperfluis ſtudiis, atque vigiliis.*

Dij te Cardane, Dij, inquam, tui te fortunent, Audacia, & Eruditio: ex hypotheſi falſa deduci falſa mirum non eſt: illa hominem calidiſſimum ſimul & humidiſſimum, affirmat eſſe, quod à veritate quidem ita vt cum maximè diſcrepat: Calidiſſimus ſanè nõ eſt, neque enim cor ipſius Leonis corde, neque iecur Aquilæ iecore, neque ventriculus vẽtriculo Strutij, neque cerebrum cere-

bro

bró paſſerino, neque neruus neruo Pardi, neque oſſa oſſibus Pantherarum, neque totus tota Gallina calidior eſt. Humidiſſimum verò Veruecem dicebas, cùm eiuſdem deſcribebas caudam. In homine verò humidiſſima pars eſt Cerebrum, non ob id tamen ſapientiſſimum dixerim hominem, vt tu ſuprà pronunciaſti, nam in cæteris quoque animalibus cerebrum eſt humidiſſimum ſi cum aliis partibus conferatur, nec piſciũ cerebro humanum humidius eſt cerebrum. Sed demus tibi Cardane animi gratia ſapientes eſſe calidiſſimos, atque humidiſſimos, non tamen inde conſequens fiet, corruptis ipſos eſſe ac deprauatis moribus. Nam cùm in ea caliditate, & humiditate cõtinua ſit tanquã duorum contrariorum conflictio, non enim cum ſumma caliditate ſumma eſſe poteſt humiditas, quin & hæc ab illa abſumatur, vel viciſſim ab hac illa retundatur, tantum abeſt vt tali morum peruerſitate infecti ſint ſapientes & docti, quantum ab ipſis abſunt extremis, à quibus ſeparatis, non vt hic coniunctis ac refractis ipſa morum prauitas proficiſcitur. Adhæc, ſi morès à temperatura ducere vis vnâ cum Galeno, nego ego tamen à calore iracundiam procreari, iracundus namque canis eſt, frigidus tamen

men; nullum enim animal frigore citius contremiſcit, nullum libentius apricatur, atque vbi Solis æſtum perferre nequiuerit, nullum eſt quod ad vmbram perfugiat citiùs, & vbi vmbræ refrixit pauliſper frigore, nullum viciſſim eſt quod ſolares radios repetat feſtinantius, quod vel in ipſo ſolſtitio facere ipſum videmus. Quod verò facilè inardeſcat, id propter ei contingit ſiccitatem, hinc citò conſeneſcit canis, & repentè omnem remittit alacritatem, fitque melancholicus, & rabiei facilè obnoxius. Item plus caloris eſſe in Lepore auſim aſſeuerare, quia plus ſanguinis in eodem & ſpirituum quàm in Crabrone, hic ad irã promptior, & intenſior. Quin idem Lepus eſt Ariete calidior, & minimè tamen ad iram procliuis eſt & propenſus, quare à ſiccitate, non à calore iracundia originem habet: neque à calore crudelitas proficiſcitur, vt tu quidem aſſeris, ira enim calidiſsimus quiſque crudeliſsimus erit, at homo Thynne non eſt crudelior, quippè quæ ipſa in fœtus ſuos deſeuit, eoſq; dilaniat, neque etiã Hippopotamo eſt truculentior, quippè qui patrem interficit, & in ſuum ipſe iniurius ortum matrem conſtuprat: ſed eſto, concedamus calidiſsimum quemque eſſe crudeliſ-
ſimum

ſimum, ergo ab oppoſitis ratiocinando, frigidiſsimus quiſque erit placidiſsimus, piiſsimuſque. Pietatem ſanè Ciconiæ omnes vno quaſi ore circumferunt, & deprædicant, frigidiſsimam igitur eſſe cōſequitur vt quæ ab omnibus piiſſima pronunciatur. Dic modo Cardane, quò te vertes? quomodo hunc Gordium quaſi nodum effringes? quomodo hæc Chryſippæa eludes retia? dic, age, reſponde? quo frigore ſerpentes viuos integros in prolobum demiſſos concoquit? Qui verò populi parentes internecant, qui deuorant: pietate illi: hi faciunt ſuperſtitione: non niſi ſenes occidunt, ne incommodis conflictentur ſenectutis, interfectos mēſis adhibent, ne à vermibus conſumantur, hi ſtolidi, & cœci, non crudeles huic ſtultitię ſuperſtitionique dediti ſunt. Sed tu Cardane diuina à quo Calore illa proficiſcatur?

Doloſos quoque à calore fieri dicis, quin imò frigidum potius quàm calidum crediderim eum qui fraudibus, doliſque addictus eſt, feruor enim agit in impetum, in doloſo verò frigus quoddam videtur reſidere, dum cunctatur, captatque occaſionem, aut ex inſidiis adoriens, aut è ſpecula imminens.

Addis quoque gulam, ac veneream libidinem maximo à calore, maximoque humi-

dem audes affirmare nonne equis,canibus, paſſeribus,& cæteris id genus animalibus illos qualitatum illarum exceſſus verè poteras attribuiſſe?in quibus inſatiabilis quædam & expleta ad ingluuiem voracitas,vel ad libidinem præceps quidã & inflammatus furor;ſed & hæc,cui tu adſcribis,cauſa veritati repugnare videtur omnibus modis : Gulæ libidinem ad ſummum refers calorem,ſummamque humiditatem. ſi calori humoris vis ſit æqualis, calori humor reſiſtet quominus tantum fiat reſolutionis,& ad immoderatam ingluuiem omnis tollatur prorſus appetitus, ſiquidem ipſe appetitus affectus eſt habendi,at quod habetur non appetitur, præcipuè verò ſedata fame non appetitur illa intemperata ventris, abdominiſque effarcinatio ; neque verò etiam humidiſſimi eſt appetere neque calidiſſimi apud Galenum.

Sapientes,inquis, ſunt humidiſſimi,& calidiſſimi; ſi hæ ad genera referantur qualitates cum ſuis cauſis, Aries erit omninò animalium ſapientiſſimus;ſi ad ſexum, mulier conſilio,atque ingenio cæteris omnibus præſtiterit:ſi ad habitudines, ſanguineæ temperaturæ cæteris omnibus continget antecellere,ſanguineum tamen hominem haud ra-

ro videas hebetem,& ſtupidum, ſæpius verò popinonem.

Acceſſione verò melancholiæ augeri inquis ſapientum peruerſitatem, quod tam falſum eſt,quàm abſonum ſibi ipſi repugnãs, quod ſi enim ſapientum natura præceptis vel potius Philoſophiæ loris ac frænis ad coercendam petulantiam, & quamcumque perperam agendi libidinem compeſcendam opus habet, in ipſa exceſſus ille caloris & humoris mitigetur temperetur que melancholici ſucci acceſſione, qui frigidus eſt & ſiccus,quàm peruerſitati aliquid accedat incrementi, Aut enim ita ſit neceſſe eſt,aut,calidiſsimi iidem & humidiſsimi erũt, qui frigidiſsimi pariter & ſicciſsimi.

Concludis deinde ſapientes omnium eſſe peſsimos,immo optimos ego omnium pronuncio ſapientes, in omnibus enim hiſtoriarum monumentis,in omni exemplorum vetuſtate,vnum ego ſaltem è ſapientibus Herculem inueni qui ſeſe aliquo nefario facinore contaminarit. Sed in hoc ego excuſandum puto facilè Cardanum,quippe qui à ſeipſo ad cæteros deſumpſit argumentum, ſapiens videri & audire voluit, cum ſe omnibus coopertum ſciret flagitiis,in expoſitione ſuæ Genituræ, quæ octaua eſt in ordine, de ſeipſo

ſeipſo ita loquitur. *Cùm Mercurius in lacteo circulo poſitus ſit, & cùm ſtellula ex natura propria, & Veneris in ſigno humano, & retrogradus, ingenium optimum, & profundiſſimum, tardum tamen & turbidum præſtant & conuerſationē gratam. Radij quoque Trigoni Saturni cum ſtellis illuſtribus poſiti, retrogradique, memoriam profundam, ſtabilem, ſed fallacem*: ſapientem ſe prædicat Cardanus, nequiſsimum tamen. *Venus eſt loci Lunæ, & Mercurij domina, & Mercurio multum, Saturno mediocriter commixta, facit igitur in diem viuentem, nugacem, religionis contemptorem, iniuriæ illatæ memorem, inuidum, triſtem, inſidiatorem, proditorem, magum, incantatorem, frequētibus calamitatibus obnoxium, ſuorum oſorē, turpi libidini deditum, zelotypum, laſciuum, obſcænum, maledicum, varium, ancipitem, impurum, & dolis mulierū obnoxium, calumniatorem, &c. Rurſus Venus Saturno commiſcetur, atque Mercurio. Saturnus in Mercurij, & proprijs dignitatibus eſt. Vnde venereorum aſsiduam cogitationem præſtat, vt nunquam quieſcam. Cogitatio venereorum perpetuò me torſit, & quod facio implere non licuit, aut feciſſe potentē puduit, cogitatione aſsidua mentitus ſum voluptatem.*

At vitia hæc Philoſophia in ipſo correxit prorſus & eluit, (ipſi fatenti ſi fidem adhibemus) quare & hîc dum ſapientes omnium

M 2 peſſi

peſſimos promulgat,ſubdit tamen, niſi Philoſophia proficiant. Sed dic ſodes, quî poteſt eſſe ſapiens, qui in ſapientiæ ſtudiis nullum omnino fecerit profectũ? diceſne cytharœdum,cui nihil profuerit cythara? Sed Cardani ſententia quid Atheis ad confirmandam opinionem ſuam momenti afferet & ponderis? Sint ſapiẽtes peſſimi, ſint voluptatibus dediti, effrenata peccandi ferantur libidine; quid inde? de animorum dubitant immortalitate, negatur conſequentia. Iſtorum namque ſemiepicureorum error in voluntate eſt non in intellectu: familiaris tamen quidem noſter hanc ſcholaſticorum diſtinctionem non approbat,inquit enim,voluntas, omniũ conſenſu & adſtipulatione, eſt potentia cœca,quæ non niſi præuia intellectus conſultatione operatur,non igitur poteſt eſſe error in volũtate,quin priùs fuerit in intellectu: quis tam veſanus fuerit, vt cœcum aberrare dixerit à via,non verò eum,qui ducit? Error ſanè huic adſcribatur oportet, ſi rectè ratiocinabimur, qui qua debuit non eſt ingreſſus via,prout ſui erat officũ & nouiſſe & ingredi,non verò illi, qui nullo modo deflexit,ſed ſequendo ductorem,ſuis partibus ſatisfecit, conſimiliter non errat voluntas quæ cœca

eſt,

eſt, ſed intellectus qui voluntatis rector eſt & moderator.

Reſpondent ſcholaſtici, intellectum excuſari ab errore, quia proponit bonum voluntati, quæ illud amplecti recuſat, O homines acutos? O ingenia ſubtilia? qui tam paucis totum negotium confectũ putant: nonne ſtultum dixerimus & amentem, qui colores cœco propoſuerit? Longè autem ſtolidior fuerit intellectus qui volũtati proponat aliquid agendum, cœcus enim licet non videat, potentiam ſaltem videndi habet, voluntas autem potentia cœca eſt ex ſcholaſticorũ opinione, quem errorem infrà confutabimus cùm contra Stoicos liberum arbitrium propugnabimus.

EXERCITATIO XXIX.

De Voluptate, & Beatitudine.

CVm Epicurei in ore nihil aliud habeant, nihil aliud prædicent, nihil aliud circunferant quàm Voluptatem, & Beatitudinem, quid hæc duo ſint quàm diligentiſſimè poterimus, ſcrutabimur, atque adeò ipſos altiſſimos Philoſophiæ fontes adibimus, & ipſius primo voluptatis ſyphunculos aperiemus.

Philoſophi ita cõmuniter illam definiunt, Eſt res animæ affectibus conueniens: inſcitiſſimè tamen atque ineptiſſimè, non enim voluptas, quę vitiũ eſt, conuenire poteſt animæ, neq; voluptas vniuſcuiuſque affectus animæ eſt, ſed cõpoſiti. Ad hæc ſunt vel res, vel habitus, vel affectus non pauci non rarò animæ cõuenientes, qui tamen nullã afferũt voluptatem; Sicut ex aduerſo alij ab animæ commodis rationibus adeò diſcrepantes, adeò illi inconuenientes, vt mortem etiam quandoque afferant præſentem, neque ideò doloris vllius ſint autores. Cuiuſmodi febris, quæ à Græcis Hettica dicitur, eius habitu non ſentitur: ſic nullam affert voluptatem habitus Sapientiæ, niſi ea in actu ſit, quem Philoſophi ſecundum vocant. quid ſomno magis conueniens? quis verò ſe dormire ſentit? quin ne illo quidem modo plena voluptas eſt, niſi fiat intellectionis reflexio ſuper intellectionem. neque Midas, vel Crœſus, aut Craſſus, ex diuitiis diuitem percipient voluptatem, niſi conſiderẽt ſuas copias Talentis Tantali fuiſſe ſuperiores. Addendum igitur & definitioni huic verbum, percepta. Subtilius autem diceremus rei, cõuenientis perceptionem. At ego aſſero aduerſus omnes Philoſophos, neque dolorem, neque voluptatem ſenſu percipi!

dolor cum ſit impactio ſpeciei naturam læ-
dentis, & ipſamet læſio ſanè dolor erit ipſa
ſenſio. nihil enim aliud ſenſio eſt, quàm im-
preſſio in ſenſum delatæ ſpeciei. Quæ ſpe-
cies ſi ſit naturæ conueniens, eius perceptio
voluptas erit: ſi ſit aduerſaria, eius actio erit
dolor; veluti calor, vt duo, ſenſum afficiet
cõuenienti conſtitutione, calor, vt quatuor,
deſtruet ſenſum, ea ſenſio erit dolor, Sic
è gemma, in ceram dum imprimitur, duo
transferuntur, & impreſſio, & imago. V.G.
Mercurij. Ex quibus concludo, neque dolo-
rem neque voluptatem ſenſu percipi, volu-
ptas enim, & dolor ſenſiones ſunt. At ſenſio
non ſentitur, ſed ſpecies vel commodæ vel
incommodæ rei: quę ſpecies eſt efficiẽs cau-
ſa impreſſæ imaginis in ceram, vt ita ſint
hæc; Gemma quaſi res, quæ ſentitur, Imago
Mercurij quaſi ſpecies rei, id eſt ſculpturæ,
quæ in gemma eſt, Cera quaſi ſenſus, Im-
preſſio quaſi ſenſio; quæ ſi ceram non offen-
dat, ſit quaſi voluptas; ſi laceret, quaſi dolor.
Sed omittamus hanc definitionem ab effi-
ciente cauſa deductam, & formalem quæ-
ramus. Duplex eſt voluptas: altera eſt perce-
ptio conuenientis ſpeciei. Altera eſt fruitio
perceptionis. Prior ſita eſt in apprehenſio-
ne vel ſenſus, vel intellectus; Altera poſita

eſt aut in præſentis iudicio, aut in memoria, quæ reducit in mentem perceptionem factam. Tertia voluptatis definitio eſt à fine, is cum homini ſit triplex, totidem modis voluptas accipietur, Primus eſt indiuidui conſeruatio, Secundus conſeruatio ſpeciei; Tertius perfectio partis potioris, id eſt animi: Propter primum datæ ſunt à natura voluptates ſenſuum, atque imprimis guſtus: propter ſecundum parata eſt delectatio, quam excitat venus: propter tertium conceſſa eſt ab eodem Parēte omnium noſtrum Deo intellectio, cuius finis beatitudo, ad quam Sapientia quaſi quibuſdam gradibus conſcendimus. Propter indiuidui conſeruationem datæ ſunt homini à natura ſenſuum voluptates. cùm verò ex corpore conſtemus & animo, vtriuſque vſui ſenſus inſeruirent natura voluit, nobiliori tamen fine parti potiori. quamobrem ad animi commoditatem atque perfectionem duo potiſſimùm nobiliſſimi conceſſi ſunt, viſus, & auditus, primo naturæ cōſilio, ſtudio, & ſolertia, tametſi ſecundariâ quoque operâ corporis item exancillentur commodis. Ergo viſus neque ſolùm, neque primùm datus eſt, vt tela, vt ruinas, vt foueas vitaremus, fugeremuſque, ſed vt tolleremꝰ erectos ad Sydera vultus, cœli

orbes

orbes contemplaremur, mundi ſpeciem admiraremur, ſummum illum omnium rerum molitorem, architectatoremque Deum cognoſceremus, atque adeò ad ipſum ſimilitudine quadam & cognatione accederemus. Diuidamus igitur ea quæ aut intrinſecus ſentiuntur aut extrinſecus, ſubſtantiæ quæ per qualitates ſentiuntur, aut corpus ſubeũt, aut non, quæ intrant guſtu dignoſcuntur: quæ verò non ingrediuntur, qualitatibus tantum mouent. Hæc verò aut non niſi proxima ſunt, atque ad tactum modò ſpectant; aut etiam remota eſſe poſſunt, eaque aut ex aduerſò tantùm recipiuntur, viſionemque efficiunt; aut ex obliquo, à quibus auditio & olfactio. Horum fines ſunt diuerſi omninò prout illi diuerſi: Odoratus ad iuuandum cerebrũ, ſpirituſq; in eo recreandos. Auditus ad diſciplinam, cõmunionemq; ſocietatatis. Tactus ad corpus extrinſecus, Guſtus ad corpus intrinſecus ſpectat. Viſus verò conceſſus primò propter animum ad inuentionem. Auditus propter animũ primùm ad communionem. Olfactus ad mediam naturam inter animum, & corpus, quæ natura eſt ſpiritus. Omnes autem ad inchoationem ſpecierum quæ ſunt materia intellectionis ad fœlicitatem.

Sed fortaſsè acutiùs ſic. Oculum delectant pulchra, quia oculus eſt propter intellectum, intellectus ad beatitudinem, beatitudo fruitió ſummi boni, hoc autem pulcherrimum. Præterea quod pulchrum non eſt, eſt quaſi non ſit, ergo quaſi non bonum, bonum verò finis. Apud Ariſtot. bonum & ens idem. Idcircò Græci καλὸν & bonum & honeſtum, & pulchrum dixerunt vna voce, & ex diuerſo ἀγαθὸν quod nunc bonũ ſignificat, olim pulchrum deſignabat.

Ex odore magnam homo capit delectationem, ita quidem, vt nullum eſſe aliud animal, quod odore ducatur, Ariſtoteles dixerit: quamuis minus ſibiipſi conuenienter, nam, ſicut & ipſe, & multi alij Philoſophorũ prodiderunt, Pantheræ odore reliquum genus ferarum vſque adeò trahitur, vt cateruatim illam comites conſequantur. Ex aduerſo verò videmus animalia malis odoribus, nõ quidem omnibus omnia ſed aliis alia fugari, ſulphure muſcas, Galbano ſerpentes: quamobrẽ ex aduerſo in natura poſitum videtur aliqua odoris voluptate capi. In primis tamen odorum fragrantia homo delectatur, quod ipſi quidem à natura ſecundùm Cardanum ad beatitudinem inditum eſt, *Solus hic ſenſus*, inquit, in l. de ſubt. *animæ & corpori communis eſſe videtur,*

videtur, diuina pars in nobis odoribus gaudet, ea de cauſa Diis thura adolentur. Sed quia noſtratibus Inquiſitoribus hæc fortè diſpliceat opinio, refutandam potius, quàm amplexãdam mihi putaui. Solus (dicis) hic ſenſus animæ & corpori communis eſſe videtur; ridiculum ſanè, non enim odoratur anima, neque ſolùm olfacit corpus, ſed totus homo. quod ſi anima odoratur, etiam guſtat, guſtus autem ob alimentum, ergo anima alebatur Cardani, conſenuit ergo, atque etiam interiit. quin ne corpus quidem odoratis, quatenus odorata ſunt, ſuſtẽtatur: imò ne ſapidis quidem, quatenus ſapida ſunt, ſed quatenus ſubſtantia tranſmutabilis in ſubſtãtiam corporis, quod nutriri debet, ſapor autem quiddam additur, vt faciliùs animal ad veſcendum inuitetur.

Subdit Cardanus aliam rationem, diuina pars in nobis odoribus gaudet: imò intellectus, quæ diuina eſt in nobis pars, nihilomagis gaudet odoribus, quàm ſenſibilibus aliis. quin viſu potiùs gaudere crediderim, plus enim eo perficitur, quippe cœli, totiũſque mundi contemplamur εὐταξίαν.

Hinc ad politiam ſubtiliſſima refert Cardanus Eccleſiaſticum ritum, thuris ſcilicet adolendi in templis, illius enim odore humanas mentes dicit ad diuinorum contemplatio

plationem facilius eleuari.

Quanto egiſſet ſatiùs Cardanus ſi aduerſus Platonicos ſuam hanc cõuertiſſet diſputationem, qui Aegyptiorum, Chaldæorumque infecti perſuaſionibus, vel potius ſuperſtitionibus, affirmabant, ſuffimentis, & odoribus aptum effici aërem ad excipiẽdos Deos, quibus cum nobis habenda commercia, facilè puto exploſurus erat haſce Platonicas fabellas. Enimuerò quomodo aër diſponitur ad excipiendum Deum? quãdo nihil eſt Deo vacuum, neque de cœlo deſcendit vt vnius loci aut regionis limitibus circumſcribatur, aut includatur, ſed totus vbique eſt, & hic, & ibi, & alibi, foret enim alioquin finitus, quod admittere ſcelus eſt vel morte piandum: In templis autem noſtris pro à maioribus accepto more, odores accenduntur ad mentes in Deum eleuandas, quod non vt hebraicum quid, ſed tanquam legitima ab Apoſtolis tranſmiſſum hæreditate obſeruat etiamnum Eccleſia, prout D. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. cõfirmat, & Eccleſiæ Proceres in œcumenica Tridentina Synodo ſtabiliuerunt in Decr. de ſacrif. Miſſæ.

Ad ſpeciei conſeruationem maris & fœminæ commixtio inſtituta eſt, nec id quidem ſine aliquo diuinæ prouidẽtiæ miraculo,

lo, nõ enim per ſanctiſſimos viros, ſed ab ipſo illo ſummo omnium rerum effectore Deo illa coniunctio in ipſis illis Beatitudine refertiſsimis Paradiſi aruis eſt inſtituta, & diuinis legibus confirmata: quin etiam Chriſtus Dominus ſua nõ modò diuiniſsima præſentia, ſed nobiliſsimo, eoque primo miraculo coniunctionem hanc voluit illuſtratá, adeóque ſui cum Eccleſia coniunctionis figuram oſtendit & ſimulacrum, atque inter Eccleſiæ ſuæ Sacramenta duxit numerandum.

Propter animi perfectionem data eſt intellectio, quæ via eſt ad beatitudinem, quod vt rectè intelligatur, altius repetenda res eſt.

Beatitudo fruitio eſt ſummi boni, fruitio, participatio eſt, participat autem qui fruitur, non quia abſcedit ab illo pars illa, vt huic communicetur: ſed hoc cum illo vnum, quo poteſt modo, fit. At quo poteſt modo? poteſtne finitum vnum fieri cum infinito? Nõ hoc quidem modo, quo illud infinitum eſt; ſed quo bonum, hoc finitum fit cum illo vnum per ſimilitudinẽ. Hoc de ea beatitudine, quæ in ſubiecto eſt, & qua ſubiectum fit beatum. Fit ergo quia vna fit beatitudo cum illa beatitudine, quæ neque in ſubiecto vllo eſt, neque ipſa ſubiectum vllum eſt. Quæ alio modo quàm hac definitione eſt declaranda. Nõ

enim

enim hæc partem ſui capit, ſed totum ipſum eſt quod eſt quare ſi hominis eſt, aut mentis abſtractæ, ideò eſt, quia illa eſt in ſe infinita ſibi. Solus igitur Deus beatus eſt. Intellectuũ autem ordines adipiſcuntur eam primum per intelligentiam ſibi primum inchoatam, deinde perficiunt per operationem. operatio autem eſt amor; fit enim vnum amans cum re amata. Ratio eſt, quia ſunt omnia creata, & finita, & ad finem. Finis autem & ſibi totus eſt ſine inuidia, & aliis communicabilis ſine detrimento. Vbi ſubtiliſſimè addimus: Operatio aliqua eſt quaſi forma finis; Idque ibi, vbi finis non excedit vires operantis, Sic carpentum non eſt præſtantius, quàm habitus carpentarij: Eſt enim ars operæ & formæ carpenti forma. Carpentarius quidem eſt efficiẽs, & ex Idæa, quam habet in animo aut intellectu, illi formam adhibuit. Sicut Ariſtot. dixit generationem eſſe aliquo modo cauſam generati: & motio eſt moti forma: Alia verò eſt operatio, quæ non introducit finẽ, ſed perficitur à fine, veluti, cum generatio perficit præuias alterationes. Sic ciuile officium perfectionem accipit à legiſlatore, accepto ſcilicet præmio quod propoſitum erat beneficienti: opus igitur, aut opera eſt inchoatio ciuilis beatitudinis: præmium

verò,

verò aut laus perfectio. Sic intellectio eſt initium beatitudinis, vel inchoata beatitudo, velle autem eam, illius eſt perfectio: veluti cùm Deum eſſe intelligo, iam datur acceſſus ad vnionem ex cognitione, quia ſpecies cogniti eſt talis forma cognoſcentis: quare aliquo modo vnum fiũt. Vbi verò ex hac intellectione video quoddã alterius bonum, volo me ſimiliorem Deo, quoad liceat, efficere. Itaque ab ea promoueo me ad aliquid faciendum, quo vnionẽ adipiſcar. atque ilicò naſcitur amor, quia in actione ſiſtitur voluntas: Vt autem tam pulcra contemplatio perſpicuè magis intelligatur, in intimos exquiſitæ Philoſophiæ receſſus ingrediamur. Cùm duo ſint principia, quæ recipere apta ſunt, totidem altera ex parte oportet eſſe, quæ item recipi apta ſint, ſub quorum ratione cætera omnia comprehendantur, quamobrem dicuntur ea à Philoſophis prima obiecta, quia tantùm ex occurſu in ſuo magno ambitu recipiuntur. Intellectus ergo obiectum eſt verum: voluntatis autem bonum. tunc ſic, vbi intellectus concipit aliquid, idem fit per ſimilitudinem cum re intellecta, ſi ergo intelligit verum, veri ſpecie coloratur; ac non ſolum intelligit verum, ſed primam veritatem, à qua illud ſuam trahit originem, ergo

&

& fit vnum & idem per ſimilitudinem cum prima veritate; atqui illa Deus eſt, ergo ſimilitudinariè cum Deo vnitur, ſed hæc vnio fruitio eſt, & beatitudo igitur. Veruntamen inchoata, incrementum deinde accipit ex voluntatis operatione, huius namque obiectum eſt, bonum, quod cum ad primum bonum referatur, & primum bonum voluntas appetet: at amans cum re amata vnum fit, vt ſupra diximus, ergo & volũtas noſtra vnum fit cum ſummo bono, atque ita illo perfruitur: ſed ſubtilius addamus hoc; veritas non efficit intellectionem, ſemper enim verum intelligeretur, ſed eam conſequitur, & eſt adæquatio notionum, quæ ſunt in intellectu, cum rebus. quin etiã in ſimplici intellectione nulla eſt. In compoſito, quod complexum vocant, veritas non intelligitur niſi per reflexionem. Res enim intelligitur, at in rebus non ineſt veritas, ſed in ſpeciebus, iunctis in intellectu, & ſecundo loco in oratione. Intelligitur ergo res intellectione recta, veritas reflexa, neque enim qui vera dicit, ſcit ſe vera dicere, niſi cum re conferat orationem; tunc ſic, beatitudo intellectus eſt in cognitione veri, at verum intelligitur cognitione reflexa, Ergo beatitudinem adipiſcimur non apprehenſionẽ, ſed ſecunda intellectus operatione:

tione : non ergo in ocio eam conſtituemus pro ſtulta Epicureorũ, qua infecti ſunt, perſuaſione.

Nec ipſa voluntas ocioſa eſt, quippe per boni vagatur partitiones, deinde ad ſummũ refert bonũ, illudque appetit, fruiturq;. Bonitas autẽ triplex eſt. Prima eſt affectus entis, quare in ſacris libris ſcriptũ eſt, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, nõ enim à ſummo bono poteſt aliquid nõ bonum vel fieri, vel conſeruari ; ille certè qui ſummum bonum eſt & fecit, & facit, & cõſeruat: illud bonum noſtra voluntas appetit, non primo, ſed quia eſſe appetit, eſt enim bonum, quia ens eſt, non autem ens, quia bonum eſt : ſicut vnũ, quia ens, nõ verò ex aduerſo, non enim poteſt ens ex vno oriri & fieri tanquam ex materiâ, vt Meliſſus exiſtimabat, ens enim hoc modo foret accidens, non ſubſtantia, accidens, inquam, proprium ipſius vnitatis, quemadmodum paſſim dicunt, vnum eſſe accidens entitatis : at vnum non poteſt eſſe niſi ſit: eſſe autem, & eſſe ens idem eſt, neque differt, niſi loquendi ratione, ſed nec alterum alterius materia eſt. quinimò vnum ita eſt entis proprium, vt cum eo res ſit eadem, & non differens niſi modo. Nam quomodo vnum poteſt eſſe entis accidẽs? neceſſe enim

N eſſet

eſſet vt à differentia flueret, qua ipſum ens conſtitueretur, ergo ens eſſet genus, & haberet ſe ente prius ens, quod eſt perridiculum. Sed in philoſophicis cõmentariis clarius iſta & fuſius ediſſeruimus. addamus nunc, voluntas noſtra appetit eſſe, non tanquam abſens vt potiatur, ſed tãquam præſens vt conſeruetur, quare ſubtiliſſimè dicimus, non appeti à nobis eſſe quod præſens eſt, appetitio namque eſt à priuatione, ſed cõſeruationem, id eſt perpetuationem ipſius eſſe, quam conſeruationem à ſummo bono profluere neceſſariò cùm intelligamus, & ſummum bonum appetemus. Altera bonitas eſt moralis, quæ eſt perfectio actus cum recta ratione, & appellatur habitus, eſt enim qualitas ad agẽdum ſecundum rectam rationem, quam in omnium animis inſigniuit ſummus ille omnium rerum artifex Deus: hinc cum moraliter bene operamur, Deo naturæ authori totum id adſcribendum eſſe & cognoſcimus, & volumus lubentes, qua contemplatione ad Dei vnionem quaſi gradibus quibuſdam conſcendimus, eaque perfruimur.

Tertia bonitas eſt ſupernaturalis, eſtque perfectio actus ſecundùm diuinã legẽ, quæ ita nos Deo coniungit, vt Apoſt. dixerit, *Viuo ego, iam non ego, ſed Chriſtus viuit in me.*

Hæ

Hæ autem omnes bonitatis actiones ad ſummam illam Dei bonitatem referuntur, cuius eſſe non appetimus, nã omne appetẽs appetit propter perfectionem ſui ipſius, ſi Dei autẽ eſſe appeteremus, noſtri corruptionem, immò annihilationem deſtructionẽq; appeteremus, quare hæc appetitio nulli omninò conuenit: Nec ipſe Lucifer Angelorum Princeps Deus eſſe deſiderabat, ſed Deo ſaltem ſimilis, quare apud Ezechi. c. 28. de Rege Moab hæc, quæ ad Luciferum pertinere dicit Eccleſia, verba leguntur: *ponam ſedem meam ſuper Aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo*? non inquit, ero altiſſimus, ſed altiſſimo ſimilis. At ſimile non eſt idem ex l. cõnerua ff. depoſit. Adhæc, voluntas noſtra nihil poteſt appetere, niſi quod intellectus intelligit, At intellectus non poteſt intelligere duos eſſe. Deos, neque finitum eſſe infinitum, non poteſt igitur id voluntas velle, nemo ergo poteſt velle eſſe Deus. Sed Dei fruitionem, in qua ſumma & vnica perfecta beatitudo eſt, appetimus: atque in hac ipſa appetitione aliquo modo fruimur, ſed imperfectè, quæ fruitio in auguſtiſſimis illis beatarum mentium ſedibus aliquando adimplebitur, & perficietur, vbi Dei ipſius pręſentia cœleſtis Reipublicæ beat ciues, cuius

ipſe ſol ſine occaſu, & ſine ortu, perpetuitas ſine momentis: præſens ſine lapſu, futurum ſine acceſſu, ſatietas ſine faſtidio, deſiderium ſine defectu, triumphus ſine bello lætitia ſine geſtu, ſcientia ſine diſciplina, finis & principium, vtroque carens, neutrius egens, vtriuſque parens atque autor: vbi participatio ſine inuidia, collocutio ſine ſermone, collatio ſine deceſſione, receptio ſine acceſſione, quies ſine motu, intellectio ſine ratiocinatione. Vbi omnia ſunt in omnibus, ab vno, non ab omnibus. Vbi omnes ſinguli ſibi, alteri alteris, vnum in vno. Qui adeſſe volunt aliis quod adeſt, quia ipſis nihil deeſt, ne id quidem quod adeſt illis. Quia qui vult, vult eos velle, cuius velle nos velle quod vult, facit.

EXER

EXERCITATIO XXX.

Ariſtotelis ſententiam explicat.

DIuinum Ariſtotelem Stagyritam humanæ Sapientiæ patrem, primum ac ſummum ſcientiarũ omnium Dictatorem, & venerabile Naturæ oraculum, ad Epicureiſmum pertrahere conatur Chalcidicus Platonicus, aſſerit enim in Plat. Timæo, Ariſtotelem conceſsiſſe, diuinam prouidentiam curare tantum æterna ſecundùm indiuiduum, qualia ſunt corpora cæleſtia, non autem hæc ſublunaria. Chalcidico circumforaneo blateroni moderni quidam philoſophaſtri adſtipulantur, duabus ratiũculis, & illis quidem leuiſsimis, perſuaſi.

Prima, quia in lib. 12. metaph. c. 9. dicit abſurdum eſſe primam mentem de rebus omnibus cogitare, & melius eſſe quædam non videre, quàm videre.

Secunda, ex Ariſtot. ſententia, Deus non poteſt in hæc inferiora agere, niſi medio corpore cœli, Ergo Ex Ariſtotele Deus non curat hæc inferiora.

Quæ opinio falſa eſt, & immeritò adſcripta diuino Viro: falſa quidem & ſeipſam deſtruit, ſingulis enim quaſi momentis vide-

mus & experimur cœleſtia corpora agere in hęc inferiora. Sol omnia noſtratia gubernat, & fouet, non ſolùm per motum illum, quo per ſigniferum vadens quatuor diuerſas anni facit tempeſtates, quibus manifeſtè omnia mutantnr: Vere plantæ germinant, herbeſcunt ſtirpes, arbores floreſcunt, ſoluuntur in libidinem animalia: Æſtate matureſcunt fructus, animalium partus adoleſcunt: Autumno defloreſcunt cuncta, arborum decutitur honos, omnia cõſeneſcũt: Hieme terra congelatur, conſtringuntur flumina, aquæ item turgent & intumeſcunt, Verùm diurno etiam motu eadem fermè operatur: Nam vt Galenus in 6. Epidemiorum dictat, partes diei naturalis ipſius anni partibus correſpondent: Mane quidem Veri, in quo lętior exurgit homo, ſanguiſque mouetur: meridies verò Aeſtati, qua calor ingẽs biliſque feruet: prima noctis pars Autumno, qua melancholia dominatur, homo areſcit & contriſtatur: Hiemi verò media nox qua pituita abundat, ſomnus dulcis, & iucunda quies mortalibus accedit. Illud idem in floribus contemplari licet, qui manè aperiuntur, & ſuauiſsimo fragrant odore, à meridie elangueſcunt, odorque euaneſcit: ſub primã noctẽ quaſi ſeneſcentẽs, omniq; deſtituti odore

odore, contrahuntur, & emarceſcunt, à media nocte conſtringuntur, & humectantur, dum pro hybernis imbribus matutinum rorem excipiunt.

Ad Lunæ quoque motum inferiora hæc mutatione quadam afficiuntur, Plenilunio turgent maria, ad ſuam enim rapiuntur Amaſiam, pingueſcunt cancri, plantæ magis effloreſcunt, Allia quæ ſeruntur tunc, cum luna ſub terris poſita eſt, ſolitam graueolentiam amittunt. Lapides vidit Commẽtator, qui ad Lunæ viciſſitudinem creſcebant, decreſcebantque. Leo x. teſte Cardano in Ptol. de Aſtro. Iud. lib. 1. c. 2. tex. 10. fol. 22. geſtabat lapidem, qui pro lunaris luminis varietate ex cæruleo fiebat candidus. Recitat Commentator in Ægypto fuiſſe Taurum ſacrũ, cuius genitalia pro ratione Lunæ augerentur, vel minuerentur. Capilli reſecti poſt plenilunium ſeriùs recreſcunt, vt qui à nouilunio, celerius.

Ad horum, cæterorũq; Planetarum varietates varias terra producit animãtes. In Mari Rubro, & Indico teſtacea omnia in maximam excreſcunt molem. In Syria Capræ longis auribus, in Cilicia tam longo, & molli pilo, vt ouium inſtar tondeantur, in Scythia Arietes naſcuntur abſque cornibus, in

Syria boues ſcapularum flectunt nodos Camelorum inſtar: Sues ſerpentum morſibus non obnoxij: in vniuerſum, beluæ in Africa monſtroſiores, in Europa fortiores, in Aſia ferociores. Plantæ in Africa variæ, in Aſia efficaces, in Europa mitiores, ac minus noxię. Homines denique ipſi ſecundùm diuerſitatem plagarum diſcriminantur in quando, & quali, non ſolum quoad corpus, verum etiam quoad animi mores, ita vt non modò eiuſdem ſpeciei, ſed ne eiuſdem quidem generis proximi eſſe videantur. Ioppæ ſeu Iàppones comedunt omnia cruda. Canariarum ſeu fortunatarum Inſularum incolæ carnibus crudis veſcuntur, adeóque, vt multi eorum viginti cuniculos in vno abſumant prādio. In Occidētali India, quę tota Europa multo maior eſt, carnes humanę, vt apud nos beluinæ, deuorantur ab habitantibus, quin etiam conceptos ex ancillabus filios patres edunt, deinde matres, & ſæpiſſimè ex matris vtero immaturum fœtum extrahunt, vt teneriori quodam & lautiori ferculo potiantur: in quibuſdam Indię regionibus viperis, & vermiculis veſcuntur homines. Tartari non modo equinis carnibus delectantur, & ſanguinem potant equinùm, ſed vaccarum quoque inteſtina vna

cum

cum fecibus in deliciis habent: Quę omnia cum non niſi ad cœli temperiem referri poſſint, manifeſtè deducitur, cœleſtia corpora in horum inferiorum miniſterium ordinata ſaltem ſecundario, Deique inſtrumenta eſſe, vt agant in hoc ſublunari orbe. Quis autē adeò veſanus, vt non intelligat inſtrumētum percipi non poſſe abſque fine, in quem diſponitur? quin imò inſtrumentum non intendit agens, niſi in ordine ad finem. Cùm igitur illa diuina corpora in noſtri miniſterium Dei prouidentia eleganter deſcripſerit, grauiterque ſtabilierit, quomodo illa, & nō noſtratia agnoſcet? ſimile profectò eſt ac dicere, faber intendit ſerram, & non ligni fiſſionem.

Ariſtoteli autem hæc opinio perperam imputatur, ipſe namque in 2. Phyſ. apertiſſimis rationibus contendit, naturam agere propter finem, non minus quam artem. in 8. Phyſ. ex motibus inferioribus in motū æternum conſcendit, immò & in cœli indagationem, oſtendit inſuper corruptibiles hos motus perennare haud poſſe, niſi à motu æterno, & ſuo motore conſeruentur; cunctaque hæc inferiora eſſe in prima materia tāquam in ſubiecto, & in primo motore tanquam in agente, quæ omnia in 2. Metaph. repetit. in 2.

de Cœlo diſſoluit dubia cõpluria circa cœleſtia corpora, cur multa ſint, cur diuerſis moueantur motibus,&c. ex ipſorum ordinatione in hæc inferiora. quare Alex. & Auerr. ibidem ſecundùm mẽtem Ariſtotelis adnotarunt, Deo hæc inferiora curæ eſſe. in lib. de Bona Fortuna oſtendit voluntates humanas à Deo moueri. & in Moralibus viros ſtudioſos Dei amicos eſſe teſtatur. Chalcidico autem in diuini Præceptoris libris minus verſato, in re ignota licuit, vel libuit potius, exultare.

EXERCITATIO XXXI.

Reſpondet primo argumento.

QVod erat deſumptum ex 12. primæ Philoſophiæ, vbi Ariſt. docet primam mentem nihil extra ſeipſam intelligere.

Scholaſtici in 1. ſent. diſt. 35. reſpõdent, diſtinctionem de duplici obiecto afferentes, idque variè.

Diuus Thomas arbitratus eſt, primũ quod intelligitur eſſe rei ſimilitudinem in intellectu conceptam. Secundum eſſe rem, quæ per ipſam intelligitur ſimilitudinem, quod ſi referatur ad Deum, nihil eum primo aliud intelligere quàm ſe: vtpotè qui non hauriat

intelli

intelligentiam à rerum formis, ſpeciebuſve, ſed per eſſentiam ſuam, quæ omnium eſt rerum ſimilitudo, cognoſcat: Si verò habita mentio fuerit de eo, quod ſecundo intelligitur, Deum non ſe tantum, ſed etiam omnia intelligere, quare Ariſtot. cùm dixerit, Deum ſe ſolùm intelligere, ad id quod primò intelligitur, reſpexiſſe: Thomas Argentoracenſis tueri ſe à contradictione Ariſtotelem dicit, cùm in Metaph. cognitionem rerum, quæ ſunt extrienſecæ, Deo abnuerit, in Ethicis & alibi eandem illi tribuerit, vult enim vno modo dici poſſe Deũ intelligere aliquid vt primarium obiectum: altero vt ſecũdarium. Si de primo ſermo habeatur & ratio, Deum nihil extra ſe intelligere, quod & voluiſſe dicit Auguſtinum in lib. 83. qq. & in comm. in Gen. ſcribentem, Deum nihil extra ſe intueri. Si verò de ſecundo fuerit cõtrouerſia, Deũ alia extra ſe intelligere; quod & dixiſſe quoque Auguſtinum affirmat, cum in 6. de Trinit. ſcripſerit, Deum omnia, quæ per Verbum fecit, in Verbo cognoſcere, & hoc modo defendi poſſe Ariſtotelem putat.

Aureolus putauit aſpectum, & intuitum Dei ad ipſam eius eſſentiam duntaxat terminari: eminẽter nihilominùs attingere omnia, non ita tamen, vt plura ſint, quæ intelligantur.

Alphon

Alphonſus Toletanus Archiepiſcopus Hiſpalenſis tametſi diſſoluat Aureoli Syllogiſmos, opinionem tamen communem Theologorum de duplici re obiecta non admittens, eam, quam tenuit Aureolus, amplectitur. & fretus (vt ſcribit) Auguſtini authoritate putat Deũ ſeipſum cognoſcere, & in ſe omnia, nec quicquam extra ſe, adeò vt eius cognitio ad res ipſas nullo modo terminetur, quod & Ariſtotelem voluiſſe credit.

An vera ſit iſtorum Theologorũ doctrina, Eccleſia diiudicet: illud ſcio, quod obiectioni aduerſus Ariſtotelem propoſitæ nullo modo ſatisfaciant, nam contextus hæc continet verba: *De quibuſdam ipſam etiam cogitare abſurdum eſt, quædam melius eſt non videre, quàm videre.* Vult igitur primam mentem cognoſcere non omnia, nec nulla, ſed non aliqua: Scolaſticorum verò diſtinctio aſſerit, Deum cognoſcere omnia in ſe, nulla extra ſe, non aliqua: non igitur ad propoſitum illa diſtinctio.

Reſpondeo igitur ego, Ariſtotelem ibi non loqui de Deo prima omniũ cauſa, primoque principio prorſus æterno, ſed de anima, aut mente, intelligentiave, quam primæ, ac ſupremæ Spheræ perenniter euoluendæ ipſe præfecit. quod verum eſſe mox faciam vt le-

ctor intelligat. diſſeruerat Ariſtot. in præcedentibus de ſphæris inferioribus,& Eudoxij & aliorum dogmata recenſuerat. Inde verò, cùm quorundam Aſtrologorum deliria deflexiſſet,quibus cœleſtia,& hominum, cæterorumquè animalium figuris delineari placuerat,ad ipſam mentem,ac intellectum,qui corpus illud ſupremum circumuoluit,diſputationem conuertit, perquiſiuitque,an intelligeret, quare mentionem facit intellectus, non Dei.Sic enim inquit,*quæ autem circa mentem intellectumve*,& ne de alio intellectu, vel mente,quàm de ea, quæ addicta eſſet primo globo, ſe dogma traditurum quiſpiam exiſtimaret, ſubiecit: *videtur enim eſſe apparentium diuiniſsimum*, vbi aduertendum eſt vocabulum illud,apparentium,in Græco codice τῶνό φα ιι μενων, quo vtebantur,qui de ſtellis diſſerebãt,vnde Arati opus dictũ τὰ φαινόμενα. Diuiniſſimi autem titulo donauit, vt puto, vel hac de cauſa,quoniam multitudine Stellarum innumerabili coruſcat octaua ſphæra, quam omnium ſupremam ipſe Ariſtot. & ante ipſum Plato, & Ægyptij exiſtimarunt. De prima igitur mente ſupremi cœli motrice,id loci locutus eſt Ariſtoteles:illam autem non eſſe Deum primam cauſam proculdubiò ipſe voluit, qui in 2. Metaph. aſſerit

Deum

Deum eſſe actum ſimplicem, cui nulla poteſt eſſe admixta potentia. In intelligẽtia autem, cuius vi primum rotatur cœlum, potentia aliqua eſt: quippe actio craſtinæ circumagitationis nondum in actu eſt. quod non ignorauit Ariſtoteles, qui in 10. ſupremæ Philoſophiæ negat cœleſtia corpora aliã habere potentiam, quàm in vbi. ſic intelligentia non habet in actu motum illius vbi, qui nondum factus eſt, in potentia igitur ad illud eſt: quare non erit prima cauſa vniuerſalis, & æterna, in quam nulla cadit potentia. Cùm igitur Ariſtoteles de mente, quæ Deo ipſo eſt inferior, decernat, de qua ipſi non diſputamus, aduerſariorum collabaſcit argumentum.

EXERCITATIO XXXII.

Diſſoluit ſecundam rationem aduerſus Ariſtot. adductam.

ERat autem hæc. Secundùm Ariſtot. nequit Deus in hæc inferiora agere, niſi mediantibus corporibus cœleſtibus, ea igitur propriè non curare exiſtimauit Ariſt. Negant aliqui antecedens ex multis.

Primo, quia in allegato lib. de bona fort. proponit primum motiuum voluntatis eſſe Deum,

Deum,ſic inquiẽs: *Rationis autem principium non ratio, ſed aliquid melius, quid igitur erit?vtique melius ſcientia & intellectus, virtus enim intellectus organum.*

Secundo, ex Ariſt. immateriale materiali præſtantius, ſed voluntas eſt ſpiritualis, cœlum materiale, cœleſti ergo corpore illa nobilior eſt, ei igitur non ſubiicitur, quippe agens paſſiuo longè excellentius eſt.

Tertio.Ex Ariſt.in lib.Ethico.& alibi,voluntas humana eſt libera, cœleſtibus igitur corporibus non ſubiicitur. Conſecutio probatur,quia ex Ariſtot.Sententia. Cœlum de neceſſitate agit, quare neceſſariò mouebit voluntatẽ,hinc coacta manebit,non libera.

Quarto,ſi Deus non poſſet agere abſque mediis, imperfectus eſſet, quippe indigentia in Rege dicit imperfectionem. At ex Ariſt. in 2. Metaph. & alibi, Deus eſt perfectiſſimus, ergo ſecundum eundem non eſt agens mediante corpore cœli.

Sed in Ariſtotelico lycæo parum verſati mihi videntur illi:quãdoquidem in 8.Phiſicorum,in 2.de Cœlo.& 2.Metaph. expreſſis verbis edocet, Deum in hæc inferiora non agere ſine corporibus cœleſtibus, tanquam inſtrumentis per ſe, & neceſſariò requiſitis ad horum ſublunarium productionem

nem, atque conſeruationem, hoc perſuaſus argumento, cui nos alibi reſpondimus. Si Deus in hæc inferiora immediatè ageret, mutaretur, at non poteſt mutari, Ergo nec immediatè agere. Sequela maioris ita probatur & ſubtiliſſimè, mutatio ſiue nouitas in effectu neceſſariò infert nouitatem in cauſa, cumque nulla alia cauſa huiuſmodi effectus ponatur niſi Deus, ipſe ſanè mutaretur.

Præterea, ſi ſecundùm Ariſt. Deus in hæc inferiora abſque medio operaretur, 8. Phiſ. libet infirmaretur, imò & deſtrueretur; innititur enim huic medio, ab agente immobili non poteſt prouenire nouum niſi mediãte motu antiquo. Hoc autẽ corrueret, nã motus antiquus ſecundũ iſtos Doctores nihil proficit ad talem motionem, immediatè enim Deus mouet voluntatem vt ipſi aſſerunt. Reſpondent fortaſsè, licèt non interueniat agens medium, oportere tamen diſpoſitionem in voluntate antecedere ad hoc, vt à Deo moueatur. At contra, quia ſecundum hos Philoſophaſtros à Deo eſt prima voluntatis motio, non debuit igitur ab alio moueri prius quàm à Deo. Ad hæc, ſi quando Deus moueat voluntatem, debet hæc eſſe diſpoſita, mota ergo prius ab intellectu:

hic

hic autem non mouet voluntatem niſi cognoſcens, non cognoſcit, niſi prius ipſum mouerit phantaſia, quæ cùm ſit organica Cœlo ſubiicitur, nõ mouet igitur Deus voluntatem niſi mediante corpore cœli.

Aduerſariorum ratiunculæ facillimè diſſoluuntur.

Prima. Ariſt.in lib. de bon. fort. dicit voluntatem moueri à Deo, non tamen ſine corporibus cœleſtibus, quod ſi de his mentionem ibi nõ faciat, parum refert, quia hic liber præſupponebat 8.Phyſicorum.

Secunda: voluntas eſt ſpiritualis, igitur corpori cœli non ſubiicitur, quippe nec immateriale materiali. Dico voluntatem, quâ volũtas eſt, corporibus cœleſtibus nõ ſubiici propter allegatam rationem: quâ humana tamen eſt, & ſine corpore operari nequit, ſaltem vt ei coniuncta eſt, corporibus cœleleſtibus dicitur obnoxia, quia hoc modo materialis nuncupatur ratione ſubiecti, quod materiale eſt.

Tertia: cogeretur voluntas, ſi corpori cœli ſubjecta eſſet, neg. conſecutio, ſubdita illis eſt quâ materialis, quia ſine re corporali operari non valet, non vt immaterialis, quia ſupra materialia eſt in eligendo, cúmque voluntas formaliter conſiſtat in electione.

& in hac ſit immaterialis, rectè infertur voluntatem corpori cœleſti non ſubiici,& per conſequens eius libertati non derogari, ſi mediante cœleſti corpore mouetur.

Quarta. Si Deus mediis indigeret in operando, imperfectus eſſet. Nequaquam, id enim oritur non ex diuinæ virtutis defectu, ſed ipſius effectus inferioris imbecillitate, qui ex ſua imperfectione ita perfici non poteſt, quare dicebat Plato in Timæo, nõ licet purum ab impuro tangi. vnde quemadmodum oculus imbecillis meridianam lucem intueri nequit, diuexo tamen lumine ſolem inſpicit: ita effectus inferior à Deo immediate non producitur qui ſplendorem in habitat inacceſſum, cuiuſq; oculi penetraciores ſunt lucidoreſque ipſo Sole, ſed medio inſtrumento cœlorum. Summus namque Conditor ſuauiter cuncta & ſapienter compoſuit,& aptiſſimè diſtribuit.

Ad probationem: Regem indigere aliis, quid imperfectum eſt. Conſiliariis in prouidendo, concedo; miniſtris in exequendo, nego: modo Deus in orbis regimine cœleſtium corporum atque formarum non indiget, ſed illis ſuæ prouidentiæ ordines exequendos concedit.

Ad principale igitur argumentum. Ex

Ariſt.

Ariſt. Deus non agit in mundo ſine corpore cœli, illius igitur prouidentiam non gerit, Reſpondeo, negando conſequentiam, Nam cœlum, totaque natura in operari dependet à Deo tanquam à cauſa prima, & vniuerſali, vt ab ipſo Ariſtot. 12. lib. primæ Philoſophiæ decretum eſt.

EXERCITATIO XXXIII.

Subtiliſſima de Intelligentiis.

CVm adminiculo & miniſterio Intelligentiarum orbem à Deo regi voluerit Ariſtoteles, de iiſdem nonnulla enucleatè ediſſere operæprecium putaui, adeo enim ineptè, & inſulſè de illis commenti ſunt Scholaſtici, vt eorum lectio aut faſtidium mihi aut certè ſtomachum commoueat. Idcircò (*Dux Sapientiſsime*) ad tui nominis memoriam ſempiternam ſic eas depingo. Intelligentia dicta eſt à perfectione illa, qua ducitur in amorem primę cauſæ; cui præſto ſemper eſt, Gręcè vocatur νοῦς, Latinè mens: quia eſt actus quidam. Earum duo ſunt ordines primarij, Cœleſtis, & ſupercœleſtis. Cœleſtis officium eſt ſuum mouere cuiuſque orbem. Supercœleſtis aſſiſtit primæ cauſæ, vt eius iuſſu etiam procuret hæc inferiora, corũ rectioni præfecta atque con-

ſeruationi, quæ fuit cauſa vt à Græcis Angeli vocarentur, quia mitteret eos Deus: Eſt igitur intelligentia actus, id eſt ens, cui nihil cauſæ poteſt accidere, qua ſit hoc quod eſt, neque hoc ſatis, id enim eſt potius eſſe actu, quàm actum: Sed eſt actus, quia eſt orbis ſui perfectio, quamuis non in orbe, Hæc cœleſtis. Super cœleſtis autē actus eſt, qui nullo medio inſtrumento eget ad functiones ſuas perficiendas, actus tamen purus nō eſt, nam ſolus Deus cauſa eſt ſine cauſa, & ens abſq; ente, mera namque eſſentia: Intelligentia verò tametſi non eſt cōpoſita ex materia & forma, tamē conſtat ex aliquo tanquam potētia, & aliquo tanquā actu: potentiam illam dico eius eſſe: actū verò eius eſſentiā. Eſt autem eſſentia, qua eſt id, quod eſt: eſſe verò eius eſt receptio eſſentiæ. Ergo cùm ſint entia alia à primo ente, finita eſſe neceſſe eſt, ſunt autem finita poteſtate, quia dependent à prima. Sunt finita eſſentiâ, quia vnum tantum eſt infinitum. Sunt finita quantitate, quia non poteſt excedere quantitas ſubſtantiam: quantæ ſunt intelligentiæ non quantitate prædicamentali, ſed intelligibili vt in intellectus intelligat in eis vnam partē, quæ non ſit alia, nihil enim infinito æquale poteſt eſſe. æqualitas enim eſt certa ratio menſuræ

ſuræ. at infiniti menſura nulla. duo infinita nequeunt eſſe neque in natura,neque extra naturam, eſſent enim duo principia prima. Finita igitur eſt intelligentia,quare fines habet,quos vltra citraque & præter non poteſt deſignari,aliqua igitur figura prædita ſit neceſſe eſt. Eſt enim figura, non extremitas corporis,vt veteres dixere,ſed diſpoſitio extremitatis. Nempe ſi illa eſſet definitio,non eſſet niſi vna figura, Extremitas enim, quatenus extremitas, non niſi vna eſt, fit autem varia propter varias partium diſpoſitiones, quibus figuræ conſtituuntur. At quanquam ad vnicam tantum figuram non coërcetur, tamē ſemper ſub aliqua figura eſt, ſiquidem non eſt infinita. omne autem terminatum aliqua figura terminatur: quin ipſa liquida non alienis, vt iidem ſenſere,finibus terminantur,ſed propriis neceſſariò, quandoquidem ſuapte natura finita ſunt:ſed mutare figuram dicentur à terminis alienis: Eius autem figurę mutatio,accidēs eſt,ſicut eſt mutatio ipſius vbi, ſic & in cœleſtibus intelligentiis actiones craſtinæ nouæ erunt, & accidentales,ſcilicet orbium verſationes. Verum eæ non ſunt alterationes, vt in nobis, ſed perfectiones ad finem continuatæ, obediunt enim primæ cauſæ. Cumque entia fi-

nita ſint, intelligentiæ neceſſe eſt, vt ſint in aliquo vbi:ſed quia sũt ſine materia,nõ erũt in aliquo loco, ſicut corpora,quorum extrema complent vacuum corporis cõtinentis: Neque enim corpus in quo Angelus habet ſuum vbi, eius eſt locus , vtpotè neque dilatatur , neque denſatur ad illius ingreſſum, ſed neque propterea ſubiectum illius eſt;neque vllo modo miſcentur , ſicuti radiorum Solis aduentu non diffinditur aër vt eiſdem cedat , neque denſatur in circumfuſis partibus , neque illorum ſubiectum eſt , neque vnum cum ipſis fit:quare nõ, vt ſcripſerunt, per operationem angelus dicetur , ibi , ſed per definitionem , hunc admodum , ibi eſt, hic non eſt , non enim operatio eſt affectus comes entium neceſſarius , At, vbi , eſt circunſtantia neceſſaria omnibus entibus præter Deũ , quare ſi angelus eſt in vbi propter operationem , erit in hoc vbi propter hanc operationem , ſicuti quæ ſunt in loco , ſunt propter terminorũ præſcriptionẽ:quæ sũt in hoc loco,ſunt propter hãc pręſcriptionẽ,Eſt igitur vbietas affectus entis cuiuſq; neceſſarius præter Deũ:dicũtur ergo eſſe in loco æquiuocè,atq; etiã plus quàm æquiuocè,quia ſunt in ſuo vbi, non per circumſcriptionem quemadmodum dextera mea in aëre , ſed

per

per aſſignationem. At diximus intelligẽtias eſſe quãtas, quomodo igitur erunt indiuiſibiles? an vt punctum? nequaquam. eſt enim intellectione aſſignare partẽ extra partem. Sed dicuntur indiuiſibiles, quia non habent contrarium, à quo patiantur.

Intelligentiarum officia tria ſunt, quæ ad vnũ, id eſt amorem primę cauſæ rediguntur.

Primum eſt primarum, aſſiſtere, de quibus multa leguntur in ſacra pagina, in Ariſtotelica nihil, quippè qui non alias agnouit intelligentias, niſi cœlorum motrices.

Alterum eſt aliarum mitti ad certa & myſteria & miniſteria. An verò quorundam modò ſit hoc miniſterium an omnium, de hoc ſcriptum non eſt in ſacro Codice. Iudicio hoc Eccleſiæ relinquatur. Illud ſaltẽ notandum duxi, quando mittitur Angelus, duos eſſe Angelos in eodem vbi. Nam qui mittitur tranſit, verbi gratia, per cœlum Lunæ, Lunæ autem intelligentia per totum orbem diffuſa eſt. Nec durum hoc vnquam mihi viſum, Nam quemadmodum intelligentia in ſuo orbe poteſt eſſe, cum quo tamen haud facit vnum quiddam cum materia, ſic atque etiam tanto facilius duo Angeli poterunt eſſe in eodem vbi, ſed rudibus delineamẽtis rem oculis ſubiiciamus. Vnius

cerei radius aut aliorum complurium & in eodem ſunt aëre, & in eodem vbi: ſed manifeſtius, cum lapidis ſpecies, qui ſub aqua eſt, ſimul cum aquæ ſpecie ad oculos tranſmittitur. Sed dubium eſt, quomodo Angelus cùm ſit indiuiſibilis, moueri queat, omne enim mobile diuiſionem patiatur neceſſe eſt, non enim poteſt puncto punctum continuari, at motus cõtinuus eſt, Ergo & id quo, & id in quo mouetur, quare fruſtra puncti continuatam fluxionem conati ſunt demonſtrare quidem in hac materia, duabus de cauſis, Prima propterea quod falſo vtitur principio, illa ſcilicet puncti promotione: altera eſt, quia angelus non eſt indiuiſibilis ea, qua punctum ratione, ſed alia, quam ſupra tradidimus, nam intelligentia eſt per totum orbem diffuſa, erit igitur extenſa ſine quantitate categorica: quid igitur huic & puncto commune eſt? at quomodo mouetur, ſi corpus non eſt? non mouetur motu corporis mutando locum, ſed motu rei incorporeæ extenſæ mutando vbi, quemadmodum anima mouetur, cùm informat partem, qua fit accretio in corpore animato. at quomodo mouet ſe id, quod ſimplex eſt? non enim habet partem motam, & partem mouentem, eſſet enim compoſitum, at angelus ſimplex

eſt,

eſt:hoc à me negatur, nam omnia quæ ſub, & infra Deum ſunt, compoſita eſſe doceo, etiam materiam primam, ſolum Deum purum actum eſſe, & verè ſimplicem, quippè ſi ti eſſet compoſitus, non eſſet primum. partes enim toto ordine naturæ priores ſunt. Materia verò prima tametſi dicitur potentia pura ad formam vt fiat elementum, tamen iſta quoque, vt ens quoddam eſt ab aliis ſeparatum, compoſita eſt ex ſuo eſſe, & ſua eſſentia. eius eſſentia eſt id quod habet proportionem differentiæ: diciturque differentia in ſpecierum conſtitutione. eſt in materia prima formalis eius ſubſtantia, quæ nomine caret, propterea & ſerò, & à paucis non niſi acutiſſimis ſapientiſſimisque viris cognita eſt, adumbratur autem notione quadam, quæ aptitudo dicitur ad recipiendam formam. Vt materiæ primæ eſſentia ſit perfectio quidem eius, vt eſt aliquod ens ſubſtantiale ab aliis ſeparatum. Sed eſt imperfectio ad vlteriora entia vt per formarum receptionam perfici poſſit: hæc pars electis ad ſapientiam à Deo ingeniis intellectu perfacilis eſt: difficilius comprehendi poteſt quid illud ſit, quod dicimus eius eſſe. Nam hoc in illa capi pro eo, quod eſt, ſicut in definitione genus, in entibus naturalibus

materia, ſatis percipimus: At enimverò quid illud tandem eſt? Reſpondeo, quod eſt in elemento materia prima, hoc eſt in materia prima ipſiuſmet materię ſuum eſſe. Eũdem admodum de Angelis quoque ego ſentio, eos eſſe compoſitos ex ſubſtantiis duabus: Altera ſimili potentiæ, altera actui, actum igitur habere mouentis formæ rationem: partem verò motam proportionem habere materiæ.

Vt plurimum autem cùm Angelus mittitur, ſibi corpus aſſumit, quod ei factu facillimum eſt, ſi enim Solis intelligentia non ſolùm muris corpus producit, ſed etiam dat animam in fimeto, quanto facilius, celerius, commodius cōfecerit ſibi Angelus corpus: quippè Angelus nobilior eſt quàm Solis intelligentia, eſt enim ex ſuperioribus Hierarchiis. Ad hæc, minus operoſum eſt corpus aſſumptũ, quàm corpus muris: corpus enim muris pluribus materiis atque mutationibus materiarum iuſtrumentum eſt: in corpore aſſumpto multa, quæ in illo neceſſaria ſunt ad functiones naturales nulla ſunt. Itaque ad aſſumendum corpus ſibi, illo temporis interuallo non eget.

Tertium intelligentiarum munus eſt mouere orbes, de quo in 12. diuinæ ſcientiæ, ad quod

quod miniſterium tot conſtitutæ ſunt intelligentiæ, quot orbes. Iſtarum intelligentiarum nomina ex magicis Iudæorum tabellis deſcribit Cardanus in lib.20.de ſubtil. tit. de Angelis,ſeu intelligentiis prope finem, Cœlum Lunæ cuſtodit Gabriel, Mercurij Raphael,Veneris Anael,Solis Michael, Martis Poteſtates,quarum Princeps eſt Samael,Iouis Principatus, quorum dux Sachiel, Saturni Throni, horum caput Caſſiel, octauo orbi dominantur Seraphin. Idem ſentit Trith. in tractatu de ſeptem Secundeis: in duobus tamen à Cardano diſſentit,nam apud ipſum Iouis intelligẽtia Zachariel eſt, Saturni Oriſiel:inanibus quidem figmentis lectoris onerant mentem & aures. Iudaicarum traditionum quiſquiliæ à Philoſopho & Chriſtiano viro repudiandæ omnino & reiiciendæ: à Philoſopho quidem, cùm nec vmbram rationis in ſe contineant,& ad arbitrium ſuum Trithemius infinita propemodum ſpirituum nomina in ſua Steganographia cõfinxit,quæ dum aliquando legetis,riſum quæſo teneatis amici:à Chriſtiano verò, nam quo tempore Gabriel Angelus à Deo miſſus fuit æternæ ſalutis nuncius, iſti qui eum præſidem faciũt orbis Lunæ, qua ratione motore ſimul & motu deſtituunt illum? qualecunque igitur

ſit

ſit intelligentiarum nomen, parum refert, ſufficit nobis ab ipſis moueri orbes:id autem quomodo fiat, ſic explico, Primi orbis motricem intelligentiam ſola ſui ipſius cognitione id præſtare, intelligit enim ſe à Deo creatam vt id agat,quare ad eam intellectionem non ſolùm accedit conſequens amor,& conſenſus,verùm etiam opera: ita vt moles illa cœli gyro agitetur iuſſu ipſius intelligentiæ. Secunda verò intelligentia non acquieſcit intellectioni ſui ipſius, ſed intelligit etiã motricem primam, quare quemadmodum prima ſeſe ita intelligendo ſuum mouet orbem,vt alias quoque incitet & torqueat inferiores, ſic inferior intelligendo primá,vult orbem ſuum cum primi orbis motu ſimul verſari, nec propterea ſequitur eſſe compoſitam, vt argumentatur Auerrois contra Algazel,& Aboali. quia ex his intellectionibus non oritur alia,& alia res, ſed conſenſus tantùm. At illi ponebant productionem & orbis,& animæ illius ab ipſa intelligẽtia,quæ ſunt duæ res diuerſæ.

Sed hac in re quinque potiſſimùm capita ſcitu & digna & neceſſaria mihi inueſtiganda eſſe duxi:primum,quomodo prima intelligentia intelligat Deum:ſecundum,an inferior intelligentia cognoſcat ſuperiorem: tertium

tium,an ſuperior inferiorem: quartum an intelligentiæ cognoſcant vniuerſalia, & quomodo: Vltimum, an cognoſcant ſingularia, & quomodo.

Ad primum. Si prima motrix intelligit primum opificem, quæritur vtrũ per eſſentiam ipſius primi entis, an per ſpeciem eiuſdem, an per propriam eſſentiam ſuam, quæ in intelligentia ſit quaſi quædã ſimilitudo, atque imago Dei. Theologi dicunt ab intelligentia cognoſci Deum per ſpeciem intelligibilem, quod falſiſſimum duco, quid enim exprimeret illam ſpeciẽ? aut quæ Dei poteſt eſſe ſpecies? Omnis ſpecies ab eo cuius eſt ſpecies, exit in intellectum intelligentem, ſi eſt ſpecies intelligibilis, quomodo ex Deo exibit? Eſt ne aliquod vbi, in quo non ſit Deus, & Dei ſpecies? cognoſci igitur Deum dicimus per eius eſſentiam. Eſſentia namque Dei eſt interior, & propior tum eſſentiæ, tum intellectioni ipſius intelligentiæ, quàm vlla ſpecies eiuſmodi, non enim inter Deum, & intelligẽtiam Dei ſpecies eſt, aut ſimulacrum, ſed ipſemet Deus: quare per propriora citius, ac pleniùs intelliget, quàm per remotiora; quo in loco aſſerimus Deum nõ poſſe diſtinctè cognoſci, niſi per ſe vnum, & à ſe vno, ipſe namque ſibi totum & inuariabile, quare

non

non poterit eſſe cognitio abſtrahens, ſed per præſentiam ſine medio, nihil enim medium inter creatorem, & rem creatam. Adhæc, ea cognitio non eſt adæquata adæquatione vlla: quippe neque entitatis, neque proportionis, quia non adæquat ſibi Deum intelligentia per cognitionem, ſed ab eo adæquatur ipſa, nõ æqualitate, ſed aptatione & coniunctione: qua id, quod Deus eſt, recipitur quantum à recipiente poteſt recipi, non autem quantum ipſum eſt: quare licet intelligentia cognoſcat Deum infinitum eſſe, non tamen cognoſcit ipſam infinitatem, ſed potius quia cognoſcit ſe, cognoſcit ſe non poſſe cognoſcere & comprehendere incomprehenſibilem.

Ad ſecundum, an inferior intelligentia ſuperiorem queat cognoſcere; Auerroiſtæ negant, quippe arbitrantur intelligens fieri vnũ & idem cum re intellecta, quare ſi tertiam ſecunda intelligit, ſecunda & tertia vna erit. Contrarium nos aſſerimus, ſi enim prima intelligentia cognoſcit Deum, quanto magis ſecunda intelligentia cognoſcet primam? Auerroiſtarum autẽ argumentum infrà ſoluendum eſt.

Ad tertium, an inferior intelligentia à ſuperiori

periori cognoſcatur, Veteres peripatetici negant, fore enim vt fiat imperfectior, euaderet enim ſeipſâ minor atque anguſtior. Deinde inquiunt opus non eſſe, nam tertia intelligentia exempli gratia ſi ſecũdam cognoſcit, non eget quartæ cognitione, vtriuſque enim perfectio in ſecunda eſt, ſicut & illarum & huius in prima. Mihi verò longè aliter videtur: aliquid enim eſt in tertia quod non eſt in ſecunda, huius igitur intereſt illam cognoſcere. Primum argumentum, quod ait, fore vt ſuperior deficeret, fieretque imperfectior, falſum eſt: non enim fit vnio realis vera intelligentis, intellectæ, & intellectionis, hoc enim modo nõ niſi vna eſſent omnes, ſi omnes ſuperiores ſe cognoſcunt ad primam vſque, quod non minus impium eſt, quàm ſtultum dicere, vt infra certis demõſtrationibus oſtendemus: neque fit vnum formale, quin ſecũda, ſi eſt (vt aiunt) & re vera eſt imperfectior quàm prima, non poterit intellectione capere primã, ſemper enim aliquid erit in prima extra & ſupra ſecũdæ intellectionem: nec fit vnio per cõpoſitionẽ, hoc enim eſſet ridiculum, neque per applicationem, quippe hoc eſt vnum Metaphoricum. Sed cuiuſmodi fit in nobis per ſpeciem, talis fit in illis per præſen

præſentiam intellectus, qui non eget motu locali, aut impreſſione ſpeciei, idcircò neque ſermone, neque ſigno, neque nutu eis opus eſt, ſed irradiatione mutua.

Secundum argumẽtum: Nihil eſt in quarta intelligentia quod non ſit in ſecunda, & tertia, tertia igitur ſi ſecundã intelliget, quartæ cognitione non indiget, falſum aſſumit, ſolum enim primum bonum continet omnes omnium differentias inferiorum, nulla verò earum, quæ finitæ ſunt, continet earum differentias, quæ infra ſe ſunt, ſicut ignis non continet aliorum elementorum perfectiones, quare, licet ratione ordinis, & propinquitatis nobilior exiſtat ſecunda quàm tertia, & prima quàm ſecunda, vna tamen non continet aliarum differentias, tunc enim intelligentiæ non differrent inter ſe niſi per maius, & minus, omnes igitur non eſſent niſi vna, & inferiores nihil aliud eſſent quàm eſſentia primæ diminuta, aut eius potentiæ tantum, quemadmodum vegetans, & ſentiens partes ſunt intellectus. Ergo quia eſt aliquid in tertia, quod non eſt in ſecunda, Secundæ intereſt tertiam quoque cognoſcere, Nam quis dubitat, affectiones, quæ ex Lunæ cœlo profiſciſcuntur, diuerſas eſſe ab operibus Mercurij? Lunæ igitur intelli-
gentia

gentiã habere quod in Mercurij intelligentia non inſit, quemadmodum in brutis quędam inſunt, quæ non ſunt in homine.

Ad quartum, Auerrois, ſectatores, qui negarunt à ſuperiore cognoſci inferiorem, aiunt ab Intelligentiis cognoſci vniuerſalia: Quæ ſententiæ ex diametro ſibi inuicem repugnant, nullum enim eſt ſub Luna vniuerſale, quod non ſit ignobilius intelligentia Lunæ. Ergo ſi non licet Mercurij intelligentię cognoſcere Lunæ Intelligẽtiam, non licebit illi Mercuriali cognoſcere Canis ſpeciem, fieret enim Canis: non cognoſcuntur autem ſpecies ab intelligentiis per abſtractionem, ſic enim cognoſcentibus dandus eſſet ex eorum ſcola intellectus agens, & intellectus poſſibilis, quomodo igitur intelligũt? vos appello omnes, vobiſcum mihi res eſt, qui præter opus intellectus nullum aliud dicitis eſſe vniuerſale, ſingularia ab Intelligentiis non cognoſci, vniuerſalia cognoſci? videntur nimirum ſpecies eſſe concreatæ cum intelligentiarum natura ex eorundem ſententia, quare ſi ſunt ſpecies, ſpecies ſunt rerum realium, quæ ſunt priores naturâ ſingulis & vniuerſis ſingularibus.

Quia hæc inferiora à Deo regi & gubernari vult Ariſt. Intelligentiarum miniſte-

rio,& verò actiones ſint circa ſingularia,hæc ab intelligentiis cognoſci neceſſe eſt. negauit Auerrois , qui infra, à nobis refelletur: quomodo autem ſingularia ab Angelis cognoſcantur,modo videndum eſt.

D. Thomas cenſet, non per ſpecies has inde acceptas,& à rebus exeũtes & impreſſas,ſed per ſpecies concretas:impugnat Scotus falſa obiectione,haberent,inquit,ſpecies infinitas, quia ſingularia ſunt infinita. imò verò finita ſunt, ſic enim docet fides Chriſtiana aliquando finem habitura , quemadmodum & habuerunt initium. Iulius Cæſar exiſtimat, Angelum neque ab iis accipere, neque à ſe cognoſcere, ſed à ſpeculo illo ſuperiore,in quo ſunt omnia:neque alium habent illi habitum rerum concretarum, ſed habitum diuinæ viſionis, qua ipſi perpetuò & ſine fine fruuntur,in qua omnia ſunt præſentia ea illis,quæ ab illis cognoſci vult:Partitur enim nequaquam ęqualiter,aliquid ſui cuilibet,neque omnibus omnia, neque cuiuis eadem præſto eſſe iubet,ſed aperit,quod, quantum,quale,quando,& cui vult.Hoc aliquid nouum, dicet aliquis, alterabit Angelum:felicem alterationem! A Deo nihil niſi perfectio, perficiuntur ergo nouarum viſionum apprehenſione: decet enim eſſentiam finitam

finitam perfici ab infinita: At maxima mihi & noua ſuboritur difficultas, an nimirum noua illa perfectio ad Angeli eſſentiã addat aliquid? adderet ſanè ſi per ſuam ſolam intelligeret eſſentiam, propterea quod eſſentiam non poſſet excedere intellectio: at excederet, ſi nunc intelligeret quod non intelligebat: ſi per eſſentiam ſuam intelligeret, eſſentiam æquaret intellectio, & ab ea ęquaretur. ſed intelligit per primę viſionem, nam quod de intellectu adepto Peripatetici iactitarunt, poſt omnium ſpecierum acceſſionem vnum fieri poſſibilem cum agente, hoc in Intelligentiis perpetuum eſt; Quam contemplationem Theologi vocant intuitiuam. Quare noua hac intellectione haud creſcit eſſentia, per eſſentiam enim non ſunt niſi id quod ſunt: ſed augetur in iis ſimilitudo Dei, impleturque illa capacitas, quæ antea ſuæ tantum eſſentiæ plena erat: tum verò completur diuinitatis vlteriore participatione. Eſt ne id ſubſtantia, an verò accidens? reſponſio facilis, aberat prius, accidens igitur eſt: at quomodo accidens, ſi à Deo eſt? Reſpondeo, ipſos Angelos nõ ſecundùm totam perfectionem, qualis & quanta in Deo eſt, perfici, ſed quaſi colorãtur ab illo primo lumine, quod quidem in ſe eſt ſubſtantia, eius

autem effectio id eſt configuratio, illa per illuſtrationem in angelo eſt, ſunt autem illa intellectionis accidentia in Angelo melioris notæ, quàm noſtra, hæc enim adſunt, & abſunt. Illa verò noua cognitio & ipſis abfuit, non aberit tamen, quia hoc modo res hæc finita ab infinita perfectibilis eſt, non imperfectibilis: factum eſt igitur illud accidẽs proprium, poſtquam aduenit propter naturam aptam ad retinendum. Idcirco in Angelo nulla obliuio, quia aſſidua viſio eſt. Sed hæc ad Theologum ſpectant.

Philoſophemur modo animi gratia, & quęramus quomodo mentes illæ verſatrices cœlorum perpetuo labore non defatigentur. Philoſophi reſpondent, quia formæ illæ non ſunt in materia: ineptiſſima ſanè & inſulſiſſima reſpõſio, nulla etenim forma ſimplicis corporis, à ſua materia quod ad motum ſpectat, fatigatur ita vt motum deſerat, aut abrumpat: neque ſomniandũ, terræ formam à materia terræ delaſſari vnquam poſſe, quo minus eã ad centrum vſque perducat, quod ſi centrum perpetua motione aliò vergeret, conferret ſeſe ad eundem motum perpetua incitatione ipſa quoque terra. Cõſentiũt hæc placitis diuini philoſophi. In argumentis enim quibus vacuum tollit, neque

materiam elementi ſuæ formæ reſiſtere. Si non reſiſtit, non fatigat, fatigatio; verò non obuenit niſi form æmouēti præter naturam elementorum, id quod e.g. videtur in terra ſurſum iacta, Animal autē quia diuerſis mouetur motibus à terræ motu, quæ in ipſo multa eſt, deorſum diſtrahitur, vnde ſeſe cū retrahere nittitur, atque ad id operis ſpiritibus vtitur, tanquam inſtrumentis, iiſq; cum abſumuntur, aut fatiſcunt, deficiunt vires. at non eſt anima defeſſa, ſed corpus ipſum.

Horum Philoſophorum ſententiam à nobis reiectam Hieronymus Cardanus in lib.4. de ſubtilit. cap. de lu. & lum. amplectitur & propugnare nititur hac ratione; *nec voluntate anima fatigatur quod nullo corporeo indigeat auxilio*: vtrumque tamen falſum eſt, nam & voluntas fatigatur. & corporeis eget adminiculis in 3. de Anima, in 12. ſupremæ ſapientiæ, in 6. Eth. 6. Phyſ. demonſtrat Ariſt. nunquam eſſe voluntatem ſine intellectione, nam voluntas appetit, appetentia verò non niſi rei cognitæ, cognitio fit intellectione: intellectio autem cum à phantaſia neceſſariò dependeat, fatigari voluntatem conſtat & aliena ope indigere: præterea velle eſt imperfectio, ergo defectus, patitur igitur, quamobrem poteſtas illa animæ, qua volu-

mus quę idcirco voluntas appellatur, fatigabilis eſt. Vtitur enim ſpiritibus ad ſui intentionem, quorum natura diſſolubilis eſt. Hoc manifeſtum eſt cùm rei cuiuſpiam deſiderio languidi damur in ſaporem. Ex ea namque conſideratione mens agitata deficitur ſpiritibus. Adhęc, velle videtur habere quodammodo contrarium, occurrunt enim ſępè non leuia offendicula, quibus prohibemur potiri deſideratis. patimur igitur obiectione, cunctatione, dilatione, fruſtratione, vbi res non ſuccedit ex animi ſententia. Quemadmodum intelligendo fatigamur obiecto ſententiæ obſcurioris.

Aliam aſſignat Cardanus cauſam, quare motrices intelligentiæ ſint expertes fatigationis. *In ſuo* (inquit) *cælo mens motrix eſt, itaque nunquam fatigari poteſt*; ſubdit rationem. *ſed nec cor fatigatur: quippe in eo cum ſit Anima*, ſpongia verò digna & Carbone verba. *In toto cælo mens motrix*, non enim eſt intelligentia in materia, neque eſt intus, neque foris, neque in toto, neque in parte. Adhæc, *cor* (inquit) *nō fatigatur*: imò vero maximè, tremit, palpitat, febricitatur, tabeſcit. Accedat ipſius Cardani ibidem ingenua cōfeſſio inquiens, *Patitur tamen cor ſpeciem fatigationis*. ſubnectis, *quippe in eo cùm ſit anima*. Audi Cardane, ſi

anima

anima in corde eſt, vis animæ in reliquis partibus, vis illa erit aut accidẽs, aut ſubſtantia. ſi ſubſtantia, ergo anima in illis quoque eſt. ſi accidens, ergo non ſunt animata membra illa, neque viuentis habent formam, Corpus itaque noſtrum erit vnum per accidens. De animæ ſede in ſequentibus libris, vbi de animæ immortalitate diſputabitur, exactiſſimè aduerſus Cardanum, & Galenum agemus ex ſententia diuini Senis Hippocratis, quem quod Galenus non intellexerit pateſaciam.

Nos itaque propoſitæ quæſtioni ita reſpõdemus, Intelligentias ſuo motu non fatigari, quia (vt ſuprà diximus) ſola mouent intellectione, intelligunt autem ſeipſas, quare intellectio illa neque à quo, neque ad quem, ſed in ſeipſa eſt. propterea nullũ fit interſtitium, nullaque intermiſſio: eſt ergo quieti ſimillimus is, qui in ſeipſo fit, ſicuti cœli motus, qui eſt admirabilis: quippe motus partium totius quieſcentis: atque adeò motus illius potens virtus nullo æuo fatiſcere poteſt aut deficere, quia non fertur ad terminum ad quem à ſe ipſa exeat per intellectionem. Erit igitur eiuſcemodi intellectio motus quaſi quidam circularis: quandoquidem ſui ipſius intellectio neque incipit, neque deſinit, ſed in ſeſe reflexa colligitur. Appetitus autem formæ

materialis in corpore ſimplici (puta terræ) vnius tamen rei eſt extra ſeipſam, centri ſcilicet. Quod vnū cū meditatur, ſemper ab eo loco, in quo eſt non naturaliter, fertur; idcirco rectus ille motus eſt, quia terminus externus vnus. In Intelligentiæ autem intellectione reuoluta in ſeipſam ſunt termini infiniti, quocirca & infinita reuolutio. Cœleſte verò corpus non reſiſtit motui, nō enim exit è loco ſuo, ſpatij verò, ſiue loci pars à parte non differt ſpecie, non erit igitur fatigatio.

Hæc quam potuimus ſumma accuratione de Intelligentiis huc cōtulimus, cuncta Romanæ Eccleſiæ iudicio ſubiiciens. Cæterùm Peripatecicos Intelligentias cœlorum motrices ſtatuentes oro atque obteſtor, vt doceant me, quî fieri poſſit, vt Deus egeat miniſterio, cùm rerum omniū immediata cauſa ſit, & ſit vbique: ſi per ſe ille, quid igitur operis per eas? nec eò (puto) confugient, vnius vnam eſſe operationem. Hoc enim finitæ eſt naturæ, at infinita ad omnia eſt & ſufficiens & etiam quaſi ſuperabundans. Nam quemadmodum varias fecit ſpecies, diuerſas creauit formas ſine vllo adiutore, quamobrem non & abſque miniſterio omnia item queat agere?

EXER

EXERCITATIO XXXIIII.

Alex. Them. & Auer. nec non Cardani opinionem adducit, atque rationes.

PEripatetici Philoſophi de Diuina Prouidentia quid ſenſerint, ex vno Auerroe colligere abundè licet. ſiquidem ille Dei prouidentiam circa hæc inferiora agnouit, vt decem in locis ſuorum commentariorum adnotaui. in procemio phyſ. vult idem eſſe primam formam, primum agens, primum finem, quod repetit 2. Phyſ. com. 73. & 12. Metaph. com. 8. in 2. de generat. com. 51. cir. fin. ſic ſcribit, *ponit enim Ariſtot. formas agentes, quamuis eſſe earum apud ipſum ſit aliud ab eſſe earum apud Platonem, differt quidem à Platone in modo eſſendi tantum & in modo actionis tantum non in eſſe earum ſimpliciter, neque in actione earum ſimpliciter*, & in 12. Metaphyſ. com. 15. 36. & 41. idem confirmat, in com. 51. & 52. eiuſdem libri apertiſſimè docet Deum hæc inferiora curæ eſſe.

Veruntamen lapſus eſt in errorem, quia Alexandrum ac Themiſtium ſectatus, cenſuit Deum hæc inferiora curare in vniuerſali tantum, non in particulari, ita habet lib. 12. metaph. com. 37. & in lib. de ſomno & vigil.

 Cui

Cui opinioni adhæſit Hieronymus Cardanus in lib. 12. de ſubtil. cap. de hominis neceſſitate: probat, quia in priuatorum hominum interitu nulla viſuntur ſigna, neque prodigia: in morte Regum Cometæ apparent, Reges igitur ſolos Superi norunt: non priuatos, niſi quatenus ſub ipſis Regibus continentur.

Complures alij apud Pomp. in lib. de Fato hanc Peripateticam opinionem libenti animo amplexantur, vt ſoluere poſſint perdifficilem quæſtionem illam, quomodo certa, & ſtabilis eſſe poſſit ſcientia Dei. De his inferioribus, quæ omni certitudine, ac ſtabilitate carent, imaginati ſibi ſunt, caduca & corruptibilia conſiderari poſſe dupliciter, in vniuerſali, & in particulari. In vniuerſali cadunt ſub diuinam prouidentiam, quia, vt ſic, non ſunt caduca, nec variabilia, nam vniuerſale eſt æternum, abſtrahit à loco, & tempore, & ſemper, & vbique eſt, quare veluti ſecundùm tale eſſe inuariabile, eſt, ita pariter & neceſſarium, & ineuitabile vnde ſubſtantiæ, accidentia, caſualia, ſimplicia, & compoſita, & quomodocunque ſe habent ſecundùm tale eſſe, diuinæ prouidentiæ ſubijciuntur, & ineuitabilia ſunt: conſiderata verò in particulari, quoniam

condi

conditiones vniuerſalibus oppoſitas habēt, ideo directè,& primario non cadunt ſub diuinam prouidentiam, & ita cum infallibili Dei prouidentia caducorum contingētiam ſimul admitti poſſe aſſerunt.

Moti ſunt Peripatetici ad negandam Dei prouidentiam circa ſingularia, hac vnica ratione, quia ſingularia à Deo nō cognoſcuntur, abſque cognitione autem prouidentia eſſe nequit.

Singularia verò non cognoſci probabant ex pluribus.

Primo, intellectus humanus, qui eſt infimus in genere immaterialium, non cognoſcit ſingularia ratione ſuæ immaterialitatis: Ergo multo minus intellectus diuinus, quo nihil abſtractius eſt, nec à materia remotius.

Antecedens vt probarent, finxerunt, (& falsò quidem, vt infra in tractatu de libero arbitrio) intellectum humanum in omnibus eſſe vnum, quare ſpeciem indiuidualem cum indiuiduis ipſis communicabilem ſtatuere coacti ſunt, non enim totum poterat eſſe in ſingulis alio modo: indiuidualē dixi quia vnum eſt & ſingulare quiddam. Inſuper Auer.7.Metaph.com.35.1.Phyſ.cap.49. 1.Poſt.cap.40. 2. de Anima c.60.3. de Anima

ma ca. 5. tex. 2. cùm concepiſſet intellectum hunc idem fieri cum eo quod intelligit, non potuit eundem facere & communicabilem, & intelligentē ſingularia, quia ſi intelligeret ſingularia, euaderet ſingularis, & per conſequens incommunicabilis, at erat per ſuam hypotheſin communicabilis, Igitur non intelligens ſingularia.

Ratio hæc Cardano adeò perplacuit vt in lib. 14. de ſubt. c. de Anima & intellectu intellectum ſic definiret. *Intellectus res eſt ipſa, quæ intelligitur, veluti cum equum intelligo, intellectus meus eſt forma equi: æterna igitur eſt forma intellectus, quare meus intellectus, dum hæc legis, & contemplaris, manet & eſt.* & lib. 17. *Intellectus verò meus eſt quicquid in me boni eſt, ſic igitur qui hæc leget bis mille annis poſt, intellectum meum videbit, & aſſequetur, atque hæc eſt intellectus vniuſcuiuſque perpetuitas, non autem æternitas.*

Secundo, negabant Deum intelligere ſingularia, quia ex cognitione rei mortalis ſordeſceret mens diuina, fieret enim materialis.

Tertio, quia mutaretur Deus ſi hæc intelligeret. Nam Deus nunc ſcit me ſedere, poſt aliquot tēporis interuallum me deambulante nō amplius ſcit me ſedere, quia non ſedebo, Cùm igitur ſciuerit me ſedere, &

poſtmodum neſciat, mutatio fiet in Deo ex ſcientia in ignorantiam.

Quarto: In omni vera cogitatione debet eſſe adæquatio & aſſimilatio inter cognoſcens & cognitum, quoniam veritas in adæquatione conſiſtit, ſed inter Deum, & humanas actiones nulla intercedit ſimilitudo, & adæquatio, ergo neque vera cognitio.

Minorem probant: quia vel Deus aſſimilatur actioni humanæ, vel actio Deo: non Deus actioni noſtræ, quia creatura magis aſſimilatur creatori, & effectus cauſę, quã creator creaturæ, & cauſa effectui aſſimiletur: non enim Veneris imagini debet aſſimilari Venus, ſed contrà imago Veneri: neq; imago eſt cauſa. Veneris, ſed Venus cauſa imaginis; quare ſi actus humani Deo aſſimilantur, erunt Dei, & non voluntatis, quod eſt inſanire cùm Stoicis in liberi arbitrij negatione.

Quinto, infinitũ à Deo cognoſci nequit, quia implicat cognoſci infinitum, cùm numerari non poſſit, at ſingularia ſunt infinita, ergo à Deo non cognoſcuntur.

EXERCITATIO XXXV.

Probat Deum curare, & cognoſcere ſingularia:

HIs & ſimilibus non obſtantibus, dicimus, Deum curam gerere omnium rerum non ſolùm in vniuerſali, verùm etiam in particulari: idque probamus ratione ex diametro oppoſita Peripateticæ probationi. hęc autem eſt, quia Deus ſingularia cognoſcit, quod oſtendemus totidem, quot illi negarunt mediis.

Primo, nullus locus eſt, à quo Deus excludatur, & præſcribatur, quia eſſet finitus eſſentiæ circumſcriptione, & finitus potentia, quippe eſſet, in vno loco, & nõ in alio, & eſſet forma, vel corpus quod eũ terminaret, quare reciperet diuiſionem. nulli igitur licet deſignare, Deus non eſt hic, quia eſſet in fruſta ſectus: eſt igitur vbique, quod ſi vbiq; adeſt, cuncta cognoſcit, ſi non eſt cœcus, vel ſurdus, prout eſt Auerroiſtarum Deus.

Secundo, ſi Deus non intelligit ſingularia, ergo non intelligit perfectè ſeipſum, conſequens eſt falſum ex ipſorummet Auerroiſtarum confeſſione, ergo & antecedens.

Sequela maioris ita probatur, non poteſt intelligi

intelligi cauſa quin ſimul intelligatur cauſatum, quippe relatiua ſunt, hæc autem ſimul cognitione ſunt, ſed Deus eſt cauſa ſingularium, ergo ſi ſeipſum perfectè agnoſcit tanquam cauſam, ſuos quoque effectus cognoſcit nempè ſingularia, ſed per aduerſarios non cognoſcit ſingularia, ergo neque ſeipſum: ſed hoc falſiſſimum eſt, ergo & illud ex quo conſequetur. Quod autem Deus ſit efficiens omnium cauſa, vt multos prætereã locos, quibus illud demõſtrare poſſem, apertiſſimè oſtenditur ex 2. primæ Philoſophiæ vbi Ariſt. ita loquitur, *id quod maximè verũ eſt cauſam eſſe veritatis aliorum, & quod maximè eſt eorum quæ ſunt, cauſam eſſe: quoniam vnum quodque principiorum propriè cauſa eſt eorum, quæ conueniunt in nomine, & definitione*, quod ne de principiis ſcientiarum duntaxat, de quibus etiam locutus, id iure queat intelligi, faciunt Auerrois verba hæc in quarta particula eiuſdem libri poſita: *Oportet quod maximè verum ſit cauſa veritatis rerum, quæ ſunt poſt. Rerum*, inquit, *non verborum*, quæ ſyllogiſmo clauduntur. & ne de cauſa finali, non efficienti ibi Ariſtot. loqui aliquis ſuſpicaretur, ſubiecit Auer. Cauſam illam omnium eſſe digniſſimarum *omnia enim* (inquit) *entia non acquirunt eſſe, & veritatem niſi ab illa cauſa*. addens, *eſſe*

illam

illam tantum ens per ſe & verum per ſe,& omnia quæ ſunt,cùm eſſe,tum vera eſſe per illius eſſe, & veritatem, & in 12. primæ Philoſophiæ ſummus humanæ ſapientiæ Dictator decreuit, *Totam naturam à prima cauſa pendere.* Quam ſententiam qui euertere conarentur, autumantes eum intellexiſſe, pendere naturam à Deo,vti à fine, non vt ab agente cauſa, è recto tramite deflecterent, omnia enim quæ cauſam finis habent, & cauſam agentem eadem habere manifeſtùm eſt ex 2. Phyſ.& 2. de Anima,vbi legimus *finē eſſe id cuius gratia fit aliquid*:& Auerrois in lib.de ſubſtantia orbis hæc ſcripſit verba,*finis ſignificat agēs ſignificatione neceſſaria*,quare illud ſubtiliſſimè adnotandum, impropriè dici,pendere aliquid à fine, propriiſſimè verò,ab agente ad finem.

Alexāder ſanè & Eudemus teſte Simplicio in 1.Phyſ.exiſtimarunt Deū nō eſſe cauſam efficientem, ſed formalem, ac finalem tantum æternorum. At Simplicius ipſe cum Philopono, & Ammonio, aliiſque multis Illuſtribus viris, opinionem hanc nō ſolùm vt falſam, verùm etiam perinde atque ab Ariſtotelis ſententia abhorrētem reiecerunt. Quin Auerrois multis in locis, aſſerit æterna cauſata eſſe à primo principio in triplici genere cauſæ,efficiente,forma,fine. vt collige-

re

re licet ex primo de Cœlo,& ex tertia diſputatione deſtructionum. intelligit enim Cœlum à Deo factum, quod ibi dicit ipſe, genitum, non hoc generandi modo, qui fit cum tranſmutatione, ac tẽpore, ſed nobiliori ratione. ſic entia omnia dicebat Themiſtius nihil aliud eſſe, quàm Dei ſcientiam, cui aſſentitur Auerrois in 3. de Anima. Ammonius dum quinque Porphyrij voces exponeret, aſſeruit Deum eſſe omnium cauſam efficientem,& exemplarem, cum apud ſe Ideas rerum habere ſcripſerit, quas qui abnegarent, hoc illos argumẽto conuicit. *Cum Creator quicquam creat, aut quæ creat nouit, aut minimè: ſi minimè, vtique non creabit, quis enim quippiam facturus, ignorat quæ debeat facere? ſi autem nouit quod facit, ilicò manifeſtum, quod in Creatore ſunt Ideæ*: Tunc ſic concludere licet aduerſus Auerroiſtas, Deus, qui ex omnium confeſſione ſeipſum intelligit, rerum omniũ cauſa eſt ex probatis, illarũ igitur cognitionem habet. conſecutio probatur, tum quia agens non eſt, qui actionem, quam exercet, ignoret, tum quia cauſa, & effectus relatiua ſunt, hæc autem ſimul cognitione ſunt atque intellectu.

Tertio, Si Deus non cognoſceret ſingularia, neque ſingularia produceret, ſed produ-

cit ſingularia. Ergo & cognoſcit.

Sequela maioris probatur, quia non aliter Deus eſt cauſa rerum, niſi quia cognoſcit, & vult, vt dicit idem Auerr. lib. 12. Metaph. com. 51.

Minor probatur: quia natura ſemper verſatur circa ſingularia, quid autem eſt natura, niſi poteſtas Dei?

Quare Sol & homo gignunt hominem, apud Philoſophum lib. 2. Phyſ. tex. 26. non gignunt autem ſpeciem, ſed hominem; quomodo gignunt, ſi non norunt?

Adhæc, vltimæ formæ, proximæque corporibus non agunt niſi adiutæ & promotæ à formis ſuperioribus: illæ verò aliis ad primam vſque: omnes autem formas ad vnam referri formam neceſſe eſt, vt dicitur 12. Metaph. cap. vlt. & in 4. Paraphraſeos apud Auer. quare omnium quoque formarum intellectiones atq; actiones ad illius primam intellectionem reduci oportet.

Quarto, infinita eſſentia Dei ſe extendit ad omne ens, nõ ſolum in vniuerſali, verum etiam in particulari, ergo & Dei intelligentia cùm ſit pariter infinita, immò cũ ipſum Dei eſſe ſit intelligere, omne intelligibile comprehendet, non ſolùm in vniuerſali, ſed in ſingulari etiam.

Quin

Quinto, ſi Deus cognoſceret tantùm in vniuerſali, diuinæ mentis vis ab vniuerſali præſcriberetur: à quo autem prærogatiuam accepit? Deinde eſſet in Deo ignorātia multarum rerum, nempè omnium ſingularium, quare multa ſcirentur à beluis, quæ ignorarentur à Deo, vt aduerſus Empedoclem argumentatur Ariſtot. in 1. de Anima. tex. 80.

EXERCITATIO XXXVI.

Reſpondet aduerſariorum argumentis.

NVnc ad oppoſita, & vt ordine propoſito incedamus, primo loco Cardani ſententiam refellemus, qui aſſerebat ſingularia à Superis non cognoſci, niſi ad vniuerſalia referantur: referri verò aut vt partes, veluti prouincias, aut vt cauſas veluti Reges.

Opinio ſanè indigna, quæ à Cardano Aſtrologo afferatur, quoties enim ipſe priuatis hominibus fortunas, caſus, euentus aduerſos & proſperos, Fatum ipſum ex Aſtris prædixit? an Aſtrorum duces atque temperatrices mētes illas æternas, quid ipſa Aſtra

efficiant, atque comminiſcantur ignorare exiſtimauit?

At inquit Cardanus, in Regum interitu ſigna, & prodigia fieri ſolent, Cometæ in cœlo apparere. Ergo ſolos Reges Superi norunt, non ſingulares homines, niſi quatenus ſub Regibus continentur.

Reſpondeo negando antecedens, noſtra enim ætate quàm plurimi Reges vita conceſſerunt abſq; vllo Cometarũ prænuncio. Audi nunc Cardane, ex tua opinione prodigia in regum morte fiunt. Ergo in omnium regum morte fiunt prodigia. fiũt enim quatenus Reges ſunt. At omnes reges quatenus reges, reges ſunt. Si non in omnium interitu id contingit, Rex ergo hic cœleſtibus illis fuerit ſingularis atque ignotus, non ergo Rex ex tuo decreto: At rex erat: Ergo falſa tua poſitio.

Sed dato, & tamen non conceſſo antecedente, conſequentia negatur: Cometæ namque in Regum interitu apparent ex phyſica, non morali cauſa, ipſi namque ex tua ſententia ſemper ſiccitate concreantur, ſeu potiùs areſcente aëre apparent: ſiccis autem temporibus Principes moriuntur, nempè cibis odoratis, & curis confecti atque Vigiliis, liceat nobis tua verba hic adſcribere.

quæ

quæ habet in l.4. de ſubtilit. cap. de luce & lumine: *clarè patet Cometem globum eſſe in cœlo conſtitutum, qui à Sole illuminatus videtur, & dum radij tranſeunt, barbæ, aut caudæ effigiem formant. Hic ergo in cœlo, ſi ibi eſt generatio, fieri poteſt: ſi non admittatur, dicere neceſſe eſt, quod verius eſt, Cœlum eſſe Syderibus pluribus, ſed non admodum denſis plenum. quod cum aër ſicceſcit & attenuatur, vel etiam aliis ex cauſis oculis noſtris ſe ſubiicit, Nam quandoque Venus media die videtur, quam de nouo genitam non eſſe ſatis conſtat. Inde fit vt ſicceſcente aëre maria multum agitentur tempeſtatibus, & ventorum flatus perſæpe maximi ſuccedant, & Nobiles ac Principes, qui curis, vigiliis, odoratiſque cibis, tum vinis potentibus exſiccantur, mortem oppetant. Contingunt & hac de cauſa aquarum imminutio, piſcium mors, & ſterilitates, & legum mutationes, ac ſeditiones, & etiã ea cauſa regni ſubuerſiones. quæ omnia vt dixi ab immodica tenuitate & ſiccitate aëris fiũt, vt Cometes harum quidem poſsit eſſe ſignum, cauſa autem minimè.* Audi item Cardane, Cometes ne æquè ſignum eſt mortis Regum & piſcium? Reges igitur ac piſces æquè ſuperi curant. Ex tua namque ſententia curant ſuperi Reges, quia in ipſorum interitu huiuſmodi ſigna apparent. Piſciculos igitur norũt ſuperi, nõ homines. Hæc de Comete adſcri-

vt tua imperitia & contradictio appareret, alioquin à veritate alieniſſimum eſt, Cometam ſiccitate ſemper concreari: nam & in hyeme ſub Septẽtrione Cometæ generantur, prout ſub Euclei principatu ad Septentriones, ac brumæ tempore Cometẽ apparuiſſe recitat Ariſtoteles. Et ipſe Card. in Ptol. de Aſtror. iud. l. 2. cap. 9. tex. 54. fol. 359. inquit, *anno 1214. menſe Martio duo apparuerunt Comete terribiles in Scotia*, & in expoſit. t. 53. aſſerit, frequentius apparere in Septentrione hyemali tempore. Quare iocari & illudere aliis Cardanũ voluiſſe puto, dum mori Principes ſiccis temporibus ſcriberet, nempe cibis odoratis, curis, ac vigiliis confectos. Remiges verò & fabros & id genus hominum, allio, bulbis, cepis, vlpicis, ſale, vino, pipere diſtentos, & effartos non mori: ſed rationem aſtrologicam audiamus. Eam tradit vbi ſuprà tex. 53. *Cometes*, inquit, *Principũ mortes ſignificat, nã à Marte & Mercurio producitur.*

At profecto qui Martis eſt & Mercurij Principum mortem non ſignificat, vt folio ſequenti cõfiteris his verbis *forma autem conſideranda eſt, quoniam quæ gladiis aſſimilantur ciuitatum deſtructionem ſignificant, eſt enim propriè Martis: quæ verò ſimilis columnæ, Iouis, ea Principes & Reges occidit: quæ verò crinita, parua verſa*

verſicolor, lucida, benè caudata, Mercurij eſt, ideoque ventorum & ſeditionum, & hæreſis prænuncia. nigra verò breui cauda, crinibus nullis Saturni eſt, & ſterilitatem, diuturnaque bella, & lepram & talia ſignificat. porrò quæ lucida eſt, & vultu quaſi humano, flaua, & breui cauda (raro viſa) Veneris eſt, & poſt longas diſcordias gratum Principem ſignificat. Sed Cardano has condonemus ineptias, quandoquidem de Comete loco, atque ſubſtantia ibidem accutiſſimè diſputauit. Aliorum igitur errorem confutemus, qui diuinam prouidentiam circa ſingularia negarunt, vt iſtorum contingentiam illius certitudini aſſociarent, nempè contingentia in vniuerſali non eſt, ſed in particulari duntaxat. at contra quia vniuerſale non ſeruatur in eſſe reali, niſi ſecundùm ſua particularia 7. Metaph. tex. com. 51. non igitur erit in vniuerſali neceſſitas, & ineuitabile fatum, niſi & in ipſis particularibus neceſſarium ſit & ineuitabile, aliter namque vniuerſale ſecundum conditiones reales non dependeret à particulari.

Nunc ad Auerrois rationes ſoluendas accedamus.

Ad primam, intellectus noſter non cognoſcit ſingulare, igitur nec intellectus diuinus. Reſpondeo negando antecedens, nam

Deus verè ſingularis eſt,& cognoſcitur, Materia prima ſingularis,& cognoſcitur. Præterea non poſſet hoc intellectus effari, Iulius Cæſar eſt homo.

Dices non differre indiuiduum à ſpecie niſi per modum. Audi ergo: hic Iulius Cæſar, qui nunc hæc ſcribit, eſt aliud quiddam à natura hominis vniuerſalis, Nec enim hic Iulius Cæſar eſt natura hominis vniuerſalis. ſic alius eſt alio modo à Titio, alio modo ab equo,&ab hoc equo, ergo neceſſe eſt Iulium Cæſarem cognoſci, vt differt ab vniuerſali per particularia: ſingulare igitur cognoſcetur. Alioqui hæc propoſitio: Iulius Cæſar eſt homo, ex priore ſemiſſe à cogitatiua, ex altero ſemiſſe ab intellectu conficeretur. At intellectus dicit, ſingulare nõ eſt vniuerſale. Ad hæc, intellectus vnus nõne dicit: Materia prima eſt vna indiuidua ſpecie diuidua partib. quibus partiales quoq; formas excipiat. Cũ de principiis naturæ indiuiduæ diſputamus, an principia nobis nota, ipſa indiuidua, quorũ principia illa ſunt, ignota nobis erũt? Dicent: vniuerſale quiddam eſt hoc, eſſe principium diuiduationis. Nõ nego. ſed aio, naturam ſingularitatis habere duos terminos abſolutos. quo fit, & quod fit ſingulare. ſi cognoſcit intellectus, quo fit, quatenus facit, cognoſcet & ipſam factionẽ, (vt ita loquar)

& factum ipſum;abſoluta enim hæc euadunt relatiua per facere,& fieri. Adhæc,antequam vniuerſale fabricetur ab intellectu,nonne eſt ſingulare? ita ſanè, facit enim abſtractione temporis, ac loci, tum aliarum differentiarum,quas circumſtantias Græci vocant. Ergo ſi intellectus agens facit vniuerſalia, neceſſariò cognoſcit ſingularia, aut à quibus eximat naturam illam,aut quorum detractis inhærentiis remaneat natura illa:non fit autẽ vniuerſalis intellectus,cùm intelligit vniuerſalia, quia eſt per ſuam eſſentiam ſingularis, & illa ſpecies tametſi eſt vniuerſalis, tamen repræſentatur ſub modo vnitatis quæ transfertur in hoc & in illud ſingulare, ſic ait Philoſophus duo contradictoria in intellectu nõ eſſe συναδόνατα quia longè alia natura ſpeciei receptæ eſt ab ipſa re, neque fit calidus à caloris cognitione, neque prauus à prauitatis intellectione. Præterea intellectus Auerrois non poterit ſentẽtiam,quam pronuciat,pronunciare:ea eſt, Intellectus nõ cognoſcit ſingulare:quî ſcis illud?niſi ſingulare notum habeas?neque poteſt nos interpellare intercurſu ſuæ cogitatiuæ,non enim cognoſcit ea intellectum,ſiquidem eſt vniuerſalis. Item dicam; hic Iulius Cæſar non eſt prædicabile. quid ſit prædicabile neſcit cogitatiua: quid

ſit hic Cæſar, ignorat intellectus, quæ vis igitur animæ Auerroicæ hoc conferruminabit?

Auerrois autem rationem, quod intellectus fiat id quod intelligit, falſam eſſe deduco ex multis.

Primo, Sciendi habitus aliud eſt ab ipſis propoſitionibus, cùm ſit in prima ſpecie qualitatis, effectus autem ab ipſa ſpecie, tãquam à cauſa efficiente, non erit idem cùm ipſa ſpecie delata, quæ eſt ſimilitudo in tertio capite qualitatis vt color: Tanto minus erit intellectus idem cum ipſa ſpecie.

Secundo, dic mihi Auerrois, lunaris orbis eſt ne ſingularis? eſt ſanè: Intelligentia agnoſcit ne Lunæ cœlũ illud à ſe motum, an ignorat? ſi ignorat, erit inſtar iumenti ad molam verſatilem alligati, quod quia in orbem circumagi recuſat, obuoluto capite ad opus faciendum adigitur, molas verſat, neque molas cognitas habet. ſi verò orbem ſuum cognoſcit, ex tuo decreto non eſt amplius mouens, ſed mota, quippè facta eſt res cognita nempe Lunæ orbis.

Tertio, in tua 4. Paraphraſi Metaph. ſic ais, *Intelligentiæ ſeparatæ non ſolùm ſunt motor, ſed etiam agens quoquomodo corporum cœleſtium.* ſi ſunt agens corporum cœleſtium. Ergo cognoſcunt corpora cœleſtia, agunt enim per

intelle

intellectum,& volũtatem.Nõn igitur ex tuis principiis ſunt motor,ſed motæ.

Quarto, ſi reipſa idem ſit intelligens cum re intellecta,ergo cùm intelligebat Auerrois vſtionem,vrebatur. quin Ariſtot. in 7. tranſnaturalis Philoſophiæ t. 4.2.negat oppoſitorum rationes eſſe oppoſitas in intellectu. At ſunt oppoſitæ in natura, non igitur ſunt eædem:Confirmatur,quia ex Auerrois ſententia idem eſſet agẽs,& eius actio, at Auerrois actio, quam exercet in huius abſurdiſſimæ opinionis defenſione, mera inſania eſt (perinde enim eſt ac ſi dicat ſculpturam in gemma & impreſſionem in cera idem eſſe) ergo & Auerrois ipſe agẽs inſaniſſimus eſt.

Quintò,Prodeat vel nunc tandem in medium & deponat perſonam tua inconſtantia.lib. 3. de Anima tex. 18.aſſeris intellectũ fieri rem intellectam non ſimpliciter, ſed per modum ſimilitudinis,& receptionis, ſi enim fieret reipſa idẽ, homo fieret lapis, quia ſpecies lapidis fieret intellectus hominis. Quid igitur prohibet?ſicut vnum ſpeculum numero fit multa atque contraria per ſimilitudinem,neque tamẽ multa eſt, ſed vnum:ſic intellectum quoque recipere ſingularium imaginem, neque tamen ſingularem fieri, non enim ſimilitudo affert identitatem:ſic igitur

Auerrois

Auerrois fundamentum ſubrutum eſt.

Nunc ad Cardanum nos cõuertamus, qui dicit intellectum rem eſſe ipſam quæ intelligitur, veluti cùm equum intelligo, intellectus meus eſt forma equi. trãſeat: Intellectus Cardani eſt equi forma, ergo Cardanus equus eſt, animæ enim ſuæ partẽ dixit Cardanus intellectum, Animæ igitur tuæ pars eſt equus tuus, atque adeò, ſi intellectus tuus eſt forma equi, equus tuus te intelliget.

Sed audiamus Cardani rationes. *Eſt enim* (inquit) *intellectus forma generalis*, Dic ſodes, quomodo eſt forma generalis, ſi nihil ſit? fit enim omnia; nulla forma fit, tum ſi eſt forma generalis, quomodo informatur aliis formis? At nulla forma, & ſub nulla forma fit.

Secunda ratio. *Intellectus eſt veluti materia prima*. Eſt ſanè intellectus omnia non formaliter, ſed ſubiectiue, ſicuti materia prima quæ non fit eſſentia equi ſub forma equi, ſed remanet id quod erat, ſubſtantia quædam, ex qua, & forma fit hoc aliquid. Alia tamen ratio in intellectus informatione: Ipſe enim non eſt potentia pura, vt materia prima, quę reducatur adhoc, vt actu ſit hoc aliquid, per formam. Sed ipſe forma noſtra eſt ſubſtantialis, ſeparabilis, incorruptibilis, æternus: ex quo tanquam ex ſubiecto eſſentialiter perfecto

fecto,& ſpecie, quam recipit, fit intellectus informatus, non alius à ſeipſo niſi ſicut Iulius Cæſar edoctus fit alius à ſeipſo, propter receptas accidentales: non igitur fit intellectus ſimpliciter, Si enim intellectus eſt (eſt verò) forma hominis, & per intellectionem equi fieret (vt tu aſſeris) equus, homo fieret equus: at non fit intellectus ipſa ſpecies, ſed ſub ſpecie. Exiſtimabam equidem in initio, Cardanum ita de intellectu ſentire quaſi diceret, intellectum velut colorari equi ſpecie, quod & nos dicimus & sẽtimus: At de vera entitate ipſe loquitur, nam in fine 14. libri ait, *Ipſe intellectus omnino à corpore ſeparatus eſt, nunc enim dum hæc ſcribo, meus intellectus eſt ea, quæ perſcripta hæc tu intelligis, dumque medica pertracto, medicina: dũ de numeris ſcribebam, numerus erat: Adeo quod aliis omnibus qui diuerſa ſcripſerunt, euenire neceſſe eſt, vt dum mea relego ſcripta alius mihi fuiſſe videar ab illo qui nunc ſum.* Vide quam verè de ſubſtantiæ tranſuectione loquatur atque mutatione, quippè de alietate atque identitate.

Tertia ratio Cardani erat, *nam quid nunc hæc ſcriptura ab intellectu meo differt?* multum quidẽ, nam hęc ſcriptura quid ſingulare eſt, intellectus verò tuus eſt forma generalis.

Quarta ratio: *ſic igitur qui hæc leget poſt bis*

mille

mille annos, intellectum meum videbit & aſſequetur. Atque hæc eſt intellectus vnius cuiuſque perpetuitas, non autem æternitas. O quam Cardane peſtem quod ſceleratiſſimorum dogmatum virus in incautam plebeculam euomis: Vt ſic enim non eſt ſubſtantia intellectus, ſed accidens quiddam, non enim æternum per tranſmiſſionem temporis exiſtimas, ſed perpetuum propter intellectionum continuationẽ. Eſt per te intellectus eſſentia corruptibilis, ſubeuntem verò accidentia contingit illorum ſucceſſione continuari.

Tantùm abeſt Cardane, vt dum hæc tua ſcripta perlego, tuum aſſequar intellectum, vt quæ de Luthero verba protulit Eraſmus, ego de te eloquar, Deus mihi concedat quemlibet alium intellectum præter hunc tuum.

Ad ſecundam rationem Auerrois, ex ſingularium cognitione vilis fieret Deus. Nequaquam Reſpondeo, non enim hæc habet tanquam obiecta, quibus vel immutetur, vel perficiatur, ſed ſeipſum intelligendo, qui omnia eſt, omnia intelligit. Addit Auerrois, fieret materialis, ſi materialia cognoſceret. Iam pudet hãc inſaniam toties refutare, faciet enim vt Deus ignoret materiam pri-

mam

mam,quam ab ipſo factam quod pecus negabit? non enim ſui ipſa genitrix eſt, neque primum ens: etiam ſomniauerint in mundo æternitatem, quis negabit omnium entium vnum ens efficiens fuiſſe, non enim entia ſunt à ſeipſis.

Quare dicendum eſt pro Auerroiſtarum inſtructione,ſi fortè ab errore aliquando reſipiſcere velint:cum hanc materiam intelligunt intellectus diuini, neutiquam eos fieri materiales materia hac, ſed materia intelligibili, quæ ſpecies eſt in ipſis intelligẽtiis,nõ fluens à materia hac, ſed cum illa ſubſtantia immateriali in cognitione coexiſtens, ſuperiorum enim ſcientia non pendet ab obiecto horum inferiorum,ſed in ipſa fit, eſtque hæc cognitio ſuipſius in ſe reflexa.

Ad tertiam rationem, ſi Deus ſingularia cognoſceret,mutaretur,at non poteſt mutari,ergo nec ſingularia cognoſcere.

Reſpondeo, negando maioris ſequelam. Ad probationem. Deus nunc ſcit me ſedere: paulò pòſt ſi obambulem, neſciet me ſedere, quia non ſedebo, cùm igitur ſciuerit me ſedere,& poſtea neſciat,mutabitur Deus ex ſciente in ignorantem.

Reſpondent ſcholaſtici, mutationem fieri in re, non in Deo,quoniam ex eo quod res

eſt,

eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa.

Satis ſanè friuola reſponſio: nam quando res mutatur, licet maneat eadem opinio & non variata quoad abſoluta, variatur tamen quoad reſpectum, quia vbi vera prius erat opinio, poſtea falſa reddetur, quare ſi variata re præciſe cognitio Dei remanet quoad abſoluta & intrinſeca, variabitur tamen de veritate in falſitatẽ, vel è falſo in verum, & in Deo vel erit aliquando falſitas, vel mutatio in opinione: veluti ſi ego, te ſedente credam te ſedere, vbi poſtea tamen tu non ſedeas, aut de ſeſſione tua eandem habeo opinionem, quam prius habebam, quando tu ſedebas, & ſic licet variatio reſpectu mei facta non ſit ſed tui, opinio tamen mea incipit eſſe falſa: aut non habeo eãdem opinionem, & ſic de vna in alteram opinionem ſum mutatus, vnde ſi Deus ſingularia, quæ mutabilia ſunt, cognoſcit vel falſitati, vel mutationi erit obnoxius.

Reſpondeo ego, neutrum horum ſequi: nam ſi vbi tu ſedes, credam ego te ſedere, & vbi poſtea ſurgas, te ſurgentem aſpexerim, nunquam in falſa ſum opinione: ita cùm Deus videat tempus, in quo res eſt, & in quo res non eſt, haud poteſt diuinæ viſioni falſitas accidere, quoniam res non váriatur, quin

quin eius variationes Deus inſpiciat: Verum cùm infertur, Quemadmodum ego dum video te ſedere, & poſtea non ſedere non decipior, attamen recedo à fide, quam de tua Seſſione ante habebam, quare in me deſinit aſſenſus, & incipit eſſe diſſenſus: Conſimiliter licet in Deo nunquam ſit falſitas. (veluti & in hypotheſi nec in me eſt) tamen erit in Deo alia credulitas, & prior deſinet.

Reſpondeo negando paritatem: Ego enim ſubiicior tempori, ſimulque non ſum in præſenti, & futuro, vel præterito, vnde aliter me habeo in præſenti, & aliter in futuro, quare in me variatur aſſenſio & credulitas, quoniam & tempus in quo ſum variatur: Deo autem omnia tempora præſentia ſunt in ſua æternitate, quare cognoſcit præteritum veluti præſens, vt dicit D. Aug. lib. de Ciuitat. Dei cap. 12. & innuere quoque mihi videtur Ariſtot. in lib. de bona fortuna circa finem; Exinde in Deo non variatur opinio, quia nec tempus, æternitas namque eſt tota ſimul vt dicebat Boetius.

Ad quartam, inter Deum & actiones humanas nulla intercedit comparatio aut aſſimilitatio, ergo neque vera cognitio.

Reſpondeo negando antecedens, ſi enim actio non continet turpitudinem & defor-

mationem, aſſimilatur Deo, quia ipſe eſt cauſa efficiens principalis, finalis, & exemplaris: nec propterea excluditur quominus actus etiam ſit voluntatis vt inſtrumenti: ſi verò actio aliqua fœditate conſpurcata eſt, non aſſimilatur Deo, quod illius cauſa non eſt niſi permiſſiua & per accidens, huic autem cauſæ effectus non debet aſſimilari.

Dices, ſi quoad deformitatem actio Deo non aſſimilatur, ergo quoad deformitatem à Deo non cognoſcitur. Conſequentia probatur, quia inter cognoſcens & cognitum debet eſſe aſſimilatio.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ad probationem, inter cognoſcens & cognitum debet eſſe aſſimilatio, in cognitione poſitiui, concedo, priuatiui, nego, priuatiua namque (qualis eſt actionis deformitas vtpotè in priuatione rectitudinis debitæ & ſpeciei conſiſtens) non cognoſcuntur per ſimilitudinem inter ipſam priuationem, & cognoſcentem, quia inter hæc ſimilitudinem reperiri impoſſibile eſt, ſed per habitus oppoſitos, quia rectus eſt iudex ſui & obliqui.

Ad quintũ, infinitum à Deo cognoſci non poteſt, ſingularia ſunt infinita, ergo à Deo cognoſci non poſſunt.

Reſpon

Reſpondeo negando maiorem, ſi enim intellectus meus finitus poteſt finita cognoſcere, cur diuinus infinitus infinita nõ cognoſcat? ſucceſſiuè, cõcedunt Scholaſtici, intuitiuè, negant: hoc autem modo à Deo cognoſci infinitum dicunt. perabſurda ſanè diſtinctiuncula & implicatoria includẽs, quî namque fieri poteſt, vt infinitum ſucceſſione ſit infinitum? cùm ipſa ſucceſſio aliud non ſit niſi finis.

Negamus etiam minorem, ſingularia namque non ſunt infinita Theologis noſtris, verum enim eſt finem aliquando habitura quemadmodum initium quandoque habuerunt.

Quin imò ex Ariſtole in 3. Phyſ. deducitur, in rebus naturalibus nõ eſſe infinitum in actu, ſed tantum in potentia, hoc autem & noſter intellectus, qui finitus eſt, cognoſcit, poteſt enim in infinitum numerorum ſpecies multiplicare, vt inquit B. Thomas.

EXERCITATIO XXXVII.

Deducit Auerrois opinionem & rationes, quod Monſtra non cadant ſub Dei prouidentiam.

AVerrois Alexandro in l. de fato adſtipulans, negauit ſub diuinam prouidentiam cadere mõſtruoſa, in lib. nãque 12. Metaphyſ. ita loquitur: *veritas eſt, quod eſt ſollicitudo, & quod aliqua ſunt ſine ſolicitudine, proueniunt ex neceſſitate materiæ, non ex diminutione agentis.* Ipſius argumenta hæc ſunt.

Primum, Monſtra ſunt quid imperfectum, excluſa igitur à Dei prouidentia, quæ perfectiſſimè cuncta operatur.

Secundum, Monſtra proueniunt ex neceſſitate materiæ, ergo diuinæ prouidentiæ non ſubiiciuntur: Conſecutio probatur, nam quę ex neceſſitate eueniunt, prouidentiam non requirunt ex Ariſtotele 6. eth. cap. 5.

Tertium, Prouidentiæ eſt diſponere ad finem ex Ariſtot. vbi ſuprà, cap. 12. ſed monſtra ad nullum finem ſunt ordinata, igitur nec à Deo præuiſa.

Hæc antequam diſſolueremus, de monſtrorum cauſis & origine prius diſſerere operæ pretium duxi. Sit igitur

EXER

EXERCITATIO XXXVIII.

Quæ Peripateticorum de monſtris adducat & confutet opiniones.

ARiſtoteles duo de monſtris reſponſa dedit; vnum, monſtra eſſe peccata naturæ, quæ materia dicitur, alterum monſtra eſſe naturæ excurſus ſeù præuaricationes.

Primũ his verbis exprimit in 2. Phyſ. tex. 81. *Natura duplex eſt, alia quidem vt materia, alia verò vt forma, finis autem eſt hæc, propter finem autẽ cætera, hæc vtique erit gratia, cuius gratia, & monſtra peccata ſunt illius, quæ propter aliquid agit*, Idem vult in libr. 4. de generatione animal. cap. 4. *Apertum eſt* (inquit) *cauſam euentorum huiuſmodi* (*ſcilicet monſtruorum*) *in materia eſſe putare oportere*. probat hac demonſtratione. *Si vitella diſtinguuntur membrana, gemini pulli diſcreti ſine vlla ſuperuacua parte generantur: ſed ſi vitella continuantur, nec vlla interiecta membrana diſterminantur, pulli ex eis monſtriferi prodeunt, corpore, & capite vno, cruribus quaternis, alis totidem, quoniam ſuperiora ex albumine generentur, & prius* (*vitello enim cibo eis eſt*) *pars autem inferior poſteà inſtruitur.*

Ariſtotelis certè de monſtris ſententia mihi monſtruoſa & portentoſa videtur, nam vt

in allegato c.4. ipſe aſſerit, *deeſſe aut ſupereſſe quicquam monſtruoſum eſt*, at deeſt aliquid in ipſius opinione, monſtruoſa igitur. Minor probatur, quia indefinitè decreuit, monſtra prouenire ex defectu materiæ, cùm tamen ibidem tradiderit duplicem monſtrorum ſpeciem, vnam, ſi ex membris animalis diuerſi aliquid conſtet, vt vitulus ſi capite pueri, & ouis fuerit capite bouis: Alteram, ſi forma prodeat multimembris, multis pedibus, multis capitibus: hanc ex defectu materiæ produci conceſſerim facilè: illam verò negarim, quî enim fieri poteſt vt ex bubulo ſemine vitulus humano capite congeneretur? ſanè ſimile generat ſibi ſimile ex Ariſtotele.

Ipſius autem demonſtratio monſtruoſa pariter eſt, Claudicat enim in multis. edocet, vbi ouorum vitella membranis diſtinguuntur, duos inde pullos, vbi verò vitella duo non diſſepiuntur, ſed vnum ſunt continuum, naſci monſtra; ſi albumen vnum, vitella gemina, pulli gemelli, ex vitello videtur oriri pullus, non ex albumine iuxta ipſius aſſertionem: tum ſi duo vitella confuſa ſunt, quomodo potuit informatrix virtus ab alis crura ſeparare? ſi ex albumine pullus ſit, quomodo ex vno albumine fiunt pulli gemini? ſi ex vitello nòn fit pullus, ſed ex albumine

ita ſeparabuntur pulli gemini, ſicuti fœtus quaterni, quos multi viderunt, non ex loculis matricis, non enim tot ſunt, ſed ab œconomia poteſtatis illius. quæ profectò diuina res eſt in ſemine.

Adhæc, ſi ſit pullus ex albumine, nobilius albumen erit quam vitellum, ſi vitellum cibus tantum eſt, quare igitur vitellum in loco nobiliore, albumen pro ſtipatore, aut munimento habetur? deceptus eſt Ariſtot. Hippocr. Card. cæterique Philoſophi, nam neque ex albumine, neque ex vitello congeneratur pullus, ſed ex galli ſemine: quomodo autem hoc in oui ſubſtantiá ingrediatur, in Phyſicis diſſeruimus.

Aſſerit ſecundo loco Ariſtoteles, monſtra eſſe præter naturæ intentionem, inquiens, *monſtruoſum eſt res præter naturam*, mitigat tam atrocem ſententiam illa caſtigatione, *ſed præter eam quæ magna ex parte ſit, non præter eam quæ ſemper & neceſſaria eſt.*

Peripateticorum tamen audacia eò progreſſa eſt, vt dicant fœminam eſſe naturæ monſtrum, à natura principaliter fœmellam non intentam, hinc vocant eam animal occaſionatum: ſanè applaudere videtur Ariſtoteles, qui in 4. de Generat. poſtquá dixit, *monſtra eſſe naturæ excurſus, ſeu præuaricationes,*

fœminam dicit eſſe acceſſorium quiddam. Et Viues vt rigidus peripateticus habeatur, ita ſcribit: *Fœmina eſt mas imperfectus, quippe frigidior, vt ex inopia videatur nata fœmina*: deſumpſit ex Ariſt. qui lib. 2. de Generat. anim. c. 3. inquit, *fœmina quaſi mas læſus eſt.* & lib. 4. c. 6. ait. *Sunt fœminæ ſua natura debiliores, frigidioreſque, & ſexum fœminæũ quaſi læſionem naturalem, & detrimentum eſſe putandum eſt.*

At ipſa ſanè verborum barbaries ſufficiẽs eſſet ad noſtrorum Philoſophorũ errorem redarguendum. Animal occaſionatum, barbara quidem locutio eſt, latinè mutilum atque interceptæ perfectionis ſiue affectæ, (vt ait Cicero) vt communiter dicitur, inchoatæ.

Sed rationibus, non verbis rem expendamus: ſi non niſi ex maſculo & fœmella ducunt ortus ſuos animantes perfectiores, vtrumque æquè neceſſarium fuit in natura ſua, alterum quidẽ propter alterum, vtrumque propter ſpecierum perpetuationẽ: hanc autem natura intendit ex principali, vt dicitur, intentione, pariter ergo ſexum fœmineum, ſine quo illa haberi non poteſt. Ad hæc, eſt perfectio quædam ſpeciei fœmineitas, quia ſexus non niſi in ſpeciebus perfectis diſtinctus eſt. Præterea ex Ariſt. 2. Phyſ.

fœmi

fœmina dat & locum & materiam,non ergo eſt ens acceſſorium operis primarij, ſed neceſſarium. Viues autem etſi Ariſt.authoritate munitus, nimis craſsè & ſtultè loquitur, non enim negauerit aliquam fœminam aliquo viro calidiorem, non igitur ortus illius cauſa vera eſt: ſed & mirum ſi frigus mammarum,ac matricis author eſt. Sunt certè defectiones à frigore, additamenta à calore, Mammæ igitur & Matrix, quæ in fœmina ſunt,in mare non ſunt,& materię copiam,& ad eam informandam caloris, qui informatricis inſtrumentum eſt, vim additam, non inopiam oſtendunt. profectò matrix nobiliſſima,ac propemodum diuina Fauiſſa eſt, in qua Naturæ theſauri conditi, vbi fuerit opus depromantur,& quæ iure optimo merita ſit,vt alterum animal appelletur.

EXERCITATIO XXXIX.

Cardani ſententiam recitat, & refellit.

Hieronymus Cardanus vir nunquam ſatis laudatus de mõſtris duas tuetur concluſiones: Prima hęc eſt, Monſtra proueniunt ab errore & defectu naturæ. Secunda, hunc naturæ defectum contingere non ex inepta mole, vt ſenſit Ariſtot. ſed quia infe-

rior natura deſtituta eſt animâ cœli propter noſtra ſcelera.

Primam concluſionem defendit in l. 12. de ſubtil. cap. de hominis natura, fol. 583. his verbis: *Mutilos hoc ſolemus vocare, cæci ſurdi, ſtrabones, claudi, ſedigiti, taliaque monſtra naturæ, qui moribus prauis præditi ſunt. Facillimè negotium abſoluunt Aſtronomi, infortunas dominari dicentes, à quibus flagitiorum colluuies ortum habet. Nos dicemus aberraſſe Naturam in facilioribus, ob id verius in difficilioribus defeciſſe: Itaque vt omnes mutili improbi ſunt, ita non omnes, qui corpore ſunt nō vitiati, integris ſunt moribus, nam plus exigitur ad formandum abſque culpa animum, quàm corpus: Itaq; peſsimi ſunt omnium gibbi cū error ſit circa cor principiū totius corporis: poſt cæci, ſtrabique quod circa cerebrum natura deliquerit: Inde muti, ſurdique, nam in minus nobili cerebri parte natura defecit: Inde claudi; hos ſequuntur qui in magno membro ſunt vitiati, poſt quos ſedigiti, & qui digitos habent iunctos, nam in minus neceſſariis aberrauit.*

Mutilos vocas cœcos & claudos: mutilum dixere veteres quod eſſet defraudadatum natura ſua, deducta voce ab hominibus mutis: quippe homini ſermo nobiliſſima res & maximè neceſſaria; tibi verò de ſubtilitate ſcribenti ſubtilius ſcribendum

fuit

fuit. quare nos ſubtiliſſimè dicimus, nihil eſſe in natura mutilum. Si enim oſtrea mutila videantur, quod limax repat. At limax ſi Talpæ, ſi Cani talpa, ſi Canis homini, homo quoque erit mutilus Dæmoni collatus & comparatus: quid ipſi Dæmones ſi ad ſuperiores mentes referantur? Omnia verò hæc, non dico iſta, ſed omnia inquam, & ſingula, conferta ita & conglutinata vt ex iis vnum fiat, ſi cum Deo cõferuntur, non ſolùm mutila, ſed etiam nihil, imò, ſiue liceat ſiue nõ liceat dicere, minus quàm nihil: quare eorum omnium quæ à natura procreantur, aut nihil erit mutilum aut omnia.

Mutili, deinde inquis, omnes improbi: nonne tibi venit in mentem, quanto cum periculo vniuerſalis propoſitio enuntietur? Minima enim quaque obiectione deſtrui vides in Topicis. Qui vir fuerit mutilus, idemque pius. appellat à tuo tribunali ad naturam. Ea iam aliud iudicium dedit ſecundùm tabulas Sapiẽtiæ, in quibus ſcriptũ eſt: Corpus animæ famulari, non verò hanc illi exancillari, propter animam, & per animam corpus eſt, nõ igitur à corpore patitur. Anima corporis domina eſt, non igitur ab illo in ſeruitutem adducitur, in noſtro Phyſico-magico oſtẽdimus à materia non pendere

dere formas naturales,eò minus nobiliores: Inter quas cùm ſit anima nobiliſſima, recipiet quidem ſpecierum primas impreſſiones,quas rationis vi, quæ materiæ minimè obnoxia eſt, corriget, ſi in deprauatis membris paſſæ fuerint diſtortionem. Dignus certè qui in morboniam relegetur qui gibberam animam in ſtrumoſo Nonio putat eſſe. Quod ſi Nonius nequam eſt, peſſimus fuit Henricus Syluius, de cuius anima ita ſcripſiſſet Carpocrates, *Non in alium carcerem*, rectus tamen erat. Ad hæc cùm integros gignant manci, neutiquam erit defecta natura. Mutili ab omnibus exiſtimãtur vitioſi: at cum perpauci tales ſint, improbi verò penè per totum humanum genus ſunt permulti,non eſt mirum aliquot horum improborũ mancos,aut diſtortos eſſe:animaduertuntur autem tales, atque notantur,quia ſuarum miſeriarum notis ſunt nobiliores. Perpauci ſanè ſunt, prô dolor, in vniuerſo probi integrique viri, cùm tamen perpauci claudi, gibberi & ſtrabones reperiantur.

Eundem errorem ipſe Cardanus in Aſtronomicis defendit. Nã in Ptol. de Aſtro. iud. l.9.tex.74. ita loquiiur, *& quia Luna in nodis & in ventre Draconis plerumque ſignificat gibboſos vel claudos, & corpore læſos, & ibidem poſi-*

ta

ta, promptos & acuto ingenio, ideo tales gibboſi & claudi & ſtrabones ſunt prompti & fallaces, & maximè quia hoc plerumque contingit ex commixtione Lunæ cum maleficis, ideo bene dictum eſt in Prouerbio, Caue tibi à ſignatis.

Excuſandus tamen Cardanus eſt, nam à ſeipſo deſumpſit argumentum, in expoſitione ſuæ gernituræ hæc habet verba. *Quod etiã natus ſim parentibus ſenibus fui minus pulcher, & validus. Mater enim cùm me genuit 37. pater 56. annum agebat, & ob hoc etiam, & quia nodus erat in aſcendente, fui maximè in ambulando aliqualiter incuruus collo etiam à pueritia ut ſenes Nonum vitium eſt lingua bleſa ob Saturnum retrogradum, Mercurium aſpicientem licet Trigono. Patior etiam in ſiniſtro oculo lachrymam, ſonitu etiã auris ſiniſtræ vexor.* Prout igitur in corporis quidem partibus mutilum mãcumque confitetur, ſic ipſa ſua ſe confeſſione facinorum omnium & ſcelerum principem abſolutiſſimum, vt ſupra quoque oſtendimus, proclamat: atque hoc quidem facilè concedimus, ſed intolerandum illud eſt, imò explodendũ quod naturam erroris arguere ore impudentiſſimo non extimeſcit. Cùm ipſe ſummus Philoſophorum Ariſtot. dicat, *Deus & Natura nihil faciunt fruſtra.* Atque adeò intolerabilior Cardani error eſt, quod naturam in

facilio

facilioribus erraſſe dicat. Cùm qui in facilioribus errorem aliquē admittat, tam ſtultum tam ab omni mente alienum reperias neminem. Multò verò minus congruum & veritati conſentiens, quod in difficilioribus eam defeciſſe aſſeuerat, quid enim factu difficile ſit Naturæ, quæ Cælorum illos pulcherrimos orbes architectata eſt ex Ariſtot. in 2. de cœlo tex. 50.

Alterá concluſionem in lib. 4. de rer. variet. cap. 68. circ. fin. his explicat verbis: *Philoſophi fatentur monſtrum ex materiæ impedimento, atque naturæ errore contingere: nos dicemus non ex materiæ inepta mole id contingere, ſed ex motu inordinato hæc fieri, qui à cauſis contrariis peruertitur, neque enim ſolum impedimētum facit monſtrum, ſed naturalem tantum proceſſum impedit, vt in fœtibus abortus: in motibus alius abigat à conſueto loco. Videtur ergo cauſa Deus aliquis, id eſt Anima Cæli, Dæmone longè nobilior, atque potentior, miniſterque Altiſsimi: & vt impedimenta ex minimis in minimis velut vitulo, ita in mediocribus ex mediocribus velut in Ciuitate: quæ impedimenta ſunt Deorum atque maximè nō ſibi aduerſantium (hoc enim nephas) ſed diuerſo ordine operantium, vt hæc inferiora Numinis vim illam per multos gradus ab Altiſsimo immiſſam haud plenè, & liberaliter excipiant, atque per illam*

Iam more ſolito ſeruentur. quamobrem & hæc poſt ingentia peccata ſequi ſolent; nam ab eadem Numinis diminutione afflatus, & flagitia exuberant, & deſtituta inferior Natura periclitatur.& in eod.libro aſſerit. *Partus monſtruoſi ſignificant mala, vt cruda vrina in morbis; nam Naturam aliò intentam eſſe & à recta via aberrare demonſtrant, quoniam in tam nobili opere, niſi deſtituatur, aberrare non poteſt.*

Errat ſanè Cardanus, dum ex materiæ impedimento negat oriri poſſe monſtruoſum animal, nam ſecundùm ipſum in lib. de ſubtil. cap. de hom. nat. cæcitas monſtruoſa res eſt, producitur autem à materiæ impedimento vt ipſemet fatetur his verbis *& ex auibus multæ cæcæ naſcuntur, velut cornices, paſſeres, picæ, columbæ, &c. cauſa eſt paucitas vitelli in ouis, aut aquea tenuiſque illius ſubſtantia, quî fit vt diutius in ouo ali non poſsint, coguntùrque imperfectæ exitũ quærere.* Adhæc, ipſe Cardanus pro vero adiicit dictum Ariſtot. vbi duo vitella non diſſepiuntur, ſed vnum ſunt continuum, naſcuntur monſtra: ſibimetipſi igitur aduerſatur, cum poſtea negat ex materię vitio produci non poſſe monſtrum, quod alibi conceſſit. Hallucinatur etiam, dum ex defectione afflatus Animæ cæleſtis in inferiorem naturam monſtra prouenire exiſtimat,

nam æque monſtroſum dicitur animal cui deeſt,vel cui ſupereſt aliquid ex Ariſt. 4. de generat.c.4.& ex ipſo Cardano li.12.de ſubtil. vbi ſedigitos appellat monſtruoſos: cui ſupereſt membrum aliquid, virũ incrementum,non inopiã in inferiori natura oſtendit.

Perridicula eſt autem Cardani ratio (cui ne delirantes quidem aniculæ adſtipulentur) propter ingentia peccata exoriri monſtra, quandoquidem vbicumque & paſſim grauiſſima perpetrantur facinora, perrara tamen apparent monſtra.quid?non ne videmus pleroſque ſtupris coopertos, facinoribus obſitos, adulteriis effœminatos? neque tamen vlla videmus aut rariſſima ſaltem monſtra? Imò plerumque ex inceſto.& adulterino concubito ſuſceptos filios cæteris conſpicimus formæ & ſpeciei gloria antecellere, cuius rei rationem ipſe quoque Cardanus aſſignauit,lib.12. de ſubtil.cap.de hominis natura,&ſi noſtrum Phyſico-magicum tres alias longe meo quidẽ tenui iudicio ſubtiliores adducat. ſed quid immoror? quando Chriſtus Dominus Cardani inſcitiæ occurrere iam longè antè voluiſſe viſus eſt, cum à diſcipulis interrogatus, *quis peccauit vt hic cæcus naſceretur*? reſpondit, *neque hic, neque parentes eius.*

EXER

EXERCITATIO XL.

Authoris ſententiam de monſtris continet.

DIco primo, monſtruoſum animal dici, cui deeſt aliquid ex ſua natura debitũ, vt cœcus, mutus, claudus, &c. vel cui ſupereſt quicquam vt ſedigiti, giberi, &c. vel cui deeſt in vna, in altera verò corporis parte ſuperat aliquid: vt homo habẽs crura quatuor, Caput vnum ſine auribus: vel cui neq; deeſt, neq; ſupereſt, ſed vel diuerſis ſpeciebus cõpoſitum eſt, vt homo taurino capite, vel ex vna tantum ſpecie à progenitoribus tamen diuerſa, vt ſi mulier pareret Elephantem, quod contigiſſe legimus in hiſtoria Pliniana in lib. 7. c. 3.

Dico ſecundo, horum & ſimilium monſtrorũ cauſas eſſe ſex. Prima eſt inuſitata & inordinata libido. *quoad mõſtruoſitatem* inquit Albertus de ſecret. mulier: cap. 6. fol. par. 102. impreſſ. Lugduni, *Multum operatur inordinatus coitus, ſi enim maſculus inordinatè iacet cum femella, monſtrum facit in Natura. narratur enim de quodam, qui lateraliter iacuit ſuper femellã tempore coitus & femella generauit puerum in vno latere curuum, & in pede claudum, & cauſa huius ex inordinatione coitus præceſſit.*

Secunda cauſa eſt vehemens coeuntium imaginatio, de qua Plinius lib. 7. hiſt. natur. cap. 12. accutiſſimè ita loquitur. *Similitudinum quidem in mente reputatio eſt, & in qua credantur multa fortuita pollere, viſus, auditus, memoria, honeſtaque imagines ſub ipſo conceptu, cogitatio etiam vtriuſlibet animum ſubito tranſuolans effingere ſimilitudinem, aut miſcere exiſtimatur, ideóque plura in homine, quàm in cæteris omnibus animantibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit, cum cæteris animantibus immobiles ſunt animi, & ſimiles omnibus, ſinguliſque in ſuo cuique generi.*

Cuius varietatis quàm plurima ſubiicit exempla: diuinus Ariſtot. ſect. 10. probl. 12. ſciſcitanti cur beluinus fœtus genitorum gerat effigiem magis quam humanus? reſpondet his verbis: *An quod homo vago varioque plurimum animo in coitu eſt? prout autem pater materue in conceptu affecti fuerint, ita partus euariant: Cætera verò animantia omnia, aut certè plurima, rei tantum ipſi intenta ſunt.* Et ego cùm menſibus elapſis Genuę illuſtri loco & vrbe celebri Philoſophiam prælegerem, ab Illuſtri admodum & ingenioſo Adoleſcente Iacobo Auria diſcipulo, ac Domino meo vnicè colendo, interrogatus

an viridis coloris equi naturaliter congenerari poſſint? affirmatiuè reſpondi. at quomodo inquit? facillimè, ſi eiuſdem coloris circumueſtiti ſtragulis coeuntibus repræſententur. neque mirum, quando Hippocr. authore Cælio Redigino lib. 11. lectionum antiquarum c. 15. ita ſcribit: *Cum Æthiops quæ pulcherrimum enixa erat filium in ſuſpicionem veniſſet admiſſi adulterij, iuſsit ſpectari quid artis pictoriæ in ſuo cubiculo eſſet, repertiſque egregiis ſignis ab omni ſeſe ſuſpicione expediuit.* Si poteſt mulier viſæ imaginis colores in fœtu vſque adeò accuratè exprimere, cur non & equi ipſi, quorum imaginatio cum ſit ad vnum determinata, vehemẽtior & efficacior ab Ariſtot. ſcitiſſimè iudicatur: Neque id arcanũ (Dux Sereniſſime) Phyſico, ſed Diuino magicum nuncupabo, cur ita quæris? Audi ſacram paginam ita teſtificantem. Gen. 30. *Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis ex parte decorticauit eas, detractiſque corticibus, in his, quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit. illa verò quæ integra fuerant, virides permanſerunt, atque in hunc modum color affectus eſt varius: poſuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt cum veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent: factũq; eſt vt in ipſo calore*

lore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa & varia, & diuerſo colore reſperſa. Diuiſitque gregem Iacob, & poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba, & nigra quæque Laban, cætera verò Iacob. ſeparatis interſe gregibus: igitur quando primo tempore aſcendebant oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum, & ouium, vt ex ea contemplatione conciperent:

Tertia cauſa, eſt parentum ſimilitudo. gignuntur quoque inquit Ariſtot. lib. 7. de hiſto. animal. c. 6. læſi ex læſis, v. g. Claudi ex claudis, cæci ex cæcis, de hoc lector vt inueſtiget oro Empedoclis & aliorum Philoſophorum ſententias apud Plutarchum libr. 5. de placitis Philoſophorũ. c. 11. nec non Stoicorum apud Lucretium libr. 4. rerum natur. & Medicorum apud Hippocr. in lib. de. Genit. Galenum. in lib. de fœtu, & Auicennam 21. Tertij.

Quarta cauſa, materiæ vitium eſt, idque tribus modis, primò ſi ſemen non fuerit ſufficiens. Secundò ſi nimium, intelligas vtrumque in quanto & quali, ex Ariſtot. libr. 4. de Generat. c. 4. & Peripat. ómnibus in 2. Phyſ. text. 82. Tertiò ſi duo ſubeunt ſemina diuerſis temporibus ex ſententia Democriti apud Ariſtot. vbi ſupra, nec ſine rationis fuco, vt ſic

ſic enim ſemina in vtero confunduntur, quò fit vt membra caoleſcant, & diſſideant.

Quinta eſt fœminei vaſculi malitia, vt puta ſi partem ſeminis reſpuat, vel ſi retineat, informe tamen pro fœtu excipiendo receptaculum habeat: de primò defectu Alb. in lib. de ſecr. mulier. c. 6. v. 3. ita loquitur: *Eſt igitur notandum, quod monſtruoſitas non ſolùm ex parte diminutionis materiæ accipitur, vel contingit, ſicut iam dictum eſt, ſed etiam aliquando ex malitia matricis, quæ ſi fuerit lubrica & vitioſa, vel malitioſa totum ſemen non retinebit, ſed diſpergit aliquando antequam totum ſemen in maſſam colligatur, tunc vi occupatur, matrix clauditur, & ſic modicum ſeminis recipitur, à quo debet formari fœtus, & illud habet ſpeciales modos ſub ſe, qui plures ſunt.*

De ſecundo habemus exemplum apud Ariſtot. de ouis habẽtibus duo vitella, è quibus ſi deſit membranula, quæ ea diſterminet, pullus naſcitur monſtruoſus corpore ſc. & capite vno, cruribus quaternis, alis totidem, conſimiliter diſrupta & conſciſſa tunica, qua partus protegitur, monſtrum fieri neceſſe eſt: quare ſatis probabiliter ſemper exiſtimaui gibberos & claudos ex vteri vitio ſic naſci, nam vt Hippo. in lib. de genit. exemplo vtar, Cucumerem vaſis in quo cõ-

tinetur figuram ſiue recta illa ſit ſiue diſtorta recipere perſpicimus.

Vltima & potiſſima mõſtrorum cauſa, ſyderum eſt influxus, de quibus Ptol. in lib. 3. de Aſtror. Iud. cap. 8. tex. 20. hæc ſcribit, *neque à prædictis alienus eſt qui de monſtris ſermo inſtituitur. Primum enim in hunc lumina quidem ab angulis decidentia, & horoſcopo nulla familiaritate coniuncta. Anguli verò ipſi à maleficis occupati reperiuntur. Cum igitur talis quædam occurrit conſtitutio, quandoquidem illa ſæpenumero etiam in abiectis & infœlicibus licet neutiquam monſtruoſis genituris incedit, è veſtigio inſpicere oportet, præter lapſam proximè coniunctionem, aut oppoſitionem luminarium, eiuſque & genituræ gubernatorem, ſi enim genituræ eorum Lunæque, & horoſcopi loca, vel vniuerſa, vel complura nulla neceſſitudine cohærent, cum prædicta coniunctionis, aut oppoſitionis loco, id quod naſcitur, contortum, & inuolutum eſſe ſignificatur. Si igitur his ſic habentibus, luminaria in quadrupedibus, aut feralibus ſignis inueniuntur, duoque angulis inſidentes Planetæ malefici non humanum eſſe portenditur quod procreatum eſt. Si beneficorũ nullus ſeu maleficorum quiſpiam luminaribus teſtificetur, prorſus ab humana forma alienum, & quod ferarum agreſtem, maleficamque naturam referat. ſi Iupiter, aut Venus animantium Diis conſecratarum, vt*

canum,

canum, felium, ſimiarum, & id genus reliquorum: ſi Mercurius vſui humano deuotorum, vt auium, porcorum, caprarum, boum, & his ſimilium. Si in humanis ſignis luminaria deprehenſa ſunt, reliquis ſic habentibus, humana ſunt quoque quæ generantur monſtra, formaque peculiarem in modum perplexa, cuius ratio & modus ex ſignorum formis colligitur: in quibus quæ luminaria & centra occupauerunt maleficæ ſtellæ deprehenduntur. Si igitur & ſic nullus beneficorum teſtificetur alicui prædictorum locorum, muti fœtus producuntnr & reuera monſtruoſi. Si Iupiter, aut Venus in honore aut pretio habebitur quicquid fuerit portenti, cuiuſmodi circa Hermaphroditos & quos Harpocratiacos dicimus, alioſque eius generis contingere ſolet: ſi & Mercurius præter hæc, oraculorũ & ſomniorum interpretes creat, & qui hinc victum quæritent, ſolus verò mutos, ſurdos, ingenioſios tamẽ & vafros, c. 16. tex. 57. Impedita lingua ſunt, & blæſa, & balbutiente quotquot Saturnũ, & Mercurium habuerũt in prædictis angulis congredientes, maximè quando occidentalis etiam eſt Mercurius, & ambo cùm Luna configurantur, tex. 58. Rurſus ſi vel lumina ad maleficos in centris hærentes aſcenderint, aut ex oppoſito ab ipſis impedita fuerint, maximeque Luna in nodis ſiue flexuris conſtituta aut in ſignis obnoxiis, nimirum Ariete, Tauro, Cancro, Scorpio & Capricorno vitia corporis

eueniūt,Gibbi ſc. aut claudicationes. Iulius Firmicius lib.7.c.6. *Luna* (inquit) *ſi in contortis vel ferinis ſignis fuerit inuenta, hoc eſt in Tauro, Cancro, Scorpione, Capricorno, vel piſcibus, nec Dominus eius ſigni, cum Luna ſit partili ſocietate cōiunctus, & alia etiam maleuola, ſtellam ipſam, aut diametra, aut quadrata radiatione reſpiciat, aut cum ea pariter ſit conſtituta: ſecunda verò maleuola ſtella in anaphora ſit horoſcopi, & dominum fortunæ reſpiciat, quadrupes de quadrupede naſcetur: præſertim ſi Dominus horoſcopi, & Dominus fortunæ in ijs ſignis, in quibus diximus, fuerit inuentus. Si verò Dominus fortunæ aut Dominus horocoſpi in humano ſigno fuerit conſtitutus, & in ſexto aut horocoſpo loco, cæteris omnibus, ſicut diximus, conſtitutis, naſcetur ex homine portentum. Si maleuolæ ſtellæ in cardinibus partiliter fuerint collocatæ in cardinum anaphoris. Sol verò & Luna in cardinibus poſiti, diametra ſe radiatione percutiāt: beneuolæ aut ſtellæ neque in cardinibus ſint poſitæ, neque in anaphoris cardinum, ſed ſub radiis ſint Solis abſcōſæ, aut quadrupes naſcetur, aut monſtrum.* In c.8. *Sol in horocoſpo ſi fuerit inuentus, & Luna in medio cæli, maleuola verò ambæ ita ſint diuiſæ, vt vna Solem, altera Lunam anaphora teneat & ab iis aliæ ſint beneuolæ Stellæ, cæcos efficiunt, aut luminibus vitiatos. Sed ſi Luna cum Sole ſynodica radiatione coniuncta fuerit, & ſint in*

anaphoris, aut epicataphoris cardinum conſtituti: & Saturnus & Mars in cardinibus ſint partiliter collocati, oculis vitium cæcitatis infertur, ſemper autem generaliter, ſi in maleuolorum anaphora Sol ſint & Luna conſtituti vitium oculis faciunt inferi. Sed his omiſſis.

Dico vltimo, monſtra à quacunque cauſa proueniant ſub diuinam prouidentiam cadere, quod ita oſtendo, monſtra dependent à Dei efficientia, à primo namque ente dependet omne ens, igitur à Dei prouidentia: Conſecutio probatur ad hominem: Nam ex Auerr. lib. 12. Metaph. c. 51. Deus cuncta operatur intelligendo, & volendo, intellectio verò & voluntas ad prouidentiam pertinent.

EXERCITATIO XLI.

Reſpondet Auerroiſtarum argumentis.

PRimo, monſtra ſunt quiddam imperfectum, à Deo igitur non dependent. Reſpondeo negando antecedens. In ſuo namque genere monſtruoſum animal, eſt ſummè perfectum, nō enim eſſet hoc quod eſt, niſi in ſummo ſuo (vt ita loquar) eſſet eſſe: quod ſi aliis comparatum, dicetur imperfectum, inſcitiſſimè ſanè, vt aduerſus Carda-

 num

num probauimus. Quinimò perfectiones quàmplurimas:& ipſas quidem admirabiles in monſtruoſis fuiſſe legi: Haly refert audiuiſſe de aliquo, quod membris deficiebatur quàmplurimis, & non niſi duo habebat foramina, vnum per quod ſugebat cibũ, aliud per quod excrementa emittebat, vaticinabatur autem multa nutu illa ſaltem ſignificans. Nec mirum: monſtrum fuit, Solis igitur & Lunæ vis extincta fuit: at ſuperuixit, Maleficæ igitur non dominabantur in angulis, adiutus ergo fuit à Ioue, Venere, & Mercurio,& ob hæc vaticinabatur quoniam extincta luce luminarium, vis Iouis, Mercurij,& Veneris magis relucet: iſtorum autem planetarum influxus ad diuinationem conferre ſæpenumero inculcat Ptolomæus. Harpocratiacos monſtruoſos appellat Ptol. lib. 3. de Aſtr. iud. c. 8. tit. 20. in fine, Iſtorum tamen Ægyptiacus quidam fuit, qui (vt refert Haly) publicè dixit Regem Concin mortuum, & repertum eſt eadem illa hora & momento Regem è viuis deceſſiſſe.

Secundo argumento, Mõſtra proueniunt ex neceſſitate materiæ, non igitur ex Dei prouiſione: Conſecutio negatur. Nam ſecundùm ipſos Peripateticos cuncta Deus agit ex neceſſitate, non tamen abſque proprouidentia. Ad probationem quæ ex ne-

ceſſitate ſuccedunt, prouidentiæ rationem non exigunt; à cauſa ſecunda & particulari concedo. A cauſa prima, principe, & vniuerſali nego, hac enim inconſulta nihil efficitur, alioquin non eſſet id quod eſt, vniuerſalis.

Tertio, Monſtra ad nullũ finem ſunt ordinata, igitur nec à Deo prouiſa. Reſpondeo, negando antecedens, nam cum à Deo & natura facta ſint, igitur ob aliquem finem, quippe Deus & natura nihil faciũt fruſtra ex Ariſt. 1. de cœlo tex. 32. & 2. de cœlo tex. 50. & ratio ipſa ſuadet, quia natura eſt ſapiẽtiſſima. Quæris cur ſapiens nihil agat fruſtra? quicquid fruſtra eſt finem non habet, Sapiens mouetur vero fine, quod fruſtra eſt, hoc ipſo non eſt, quod non eſt, nõ poteſt mouere: Inſipiens verò mouetur falſa finis ſpecie, non vero fine. Finis autẽ monſtrorũ eſt triplex, primus vt admirabilior Deus videatur opifex, qui tã diuerſa neſcio qua cõmunione conſenſuque conglutinauit, quare cœcum à natiuitate natum eſſe dixit Chriſtus Dominus, vt manifeſtentur opera Dei in illo. Secundus, vniuerſi pulchritudo, quæ in diuerſitate, ac variatione conſiſtit, vnde noſter Poëta cecinit. *Per tal variar Natura è bella.*

quin

quin imò vniuerſum nõ eſſet, niſi ex tot diuerſis eſſet compoſitum, veluti homo non eſſet perfectus homo, niſi omnia membra quæ tam diuerſa ſunt, haberet. Vltimus finis eſt futurorũ euẽtuum præſignificatio. quare Pomponatius in lib. de effect. nat. rer. cau. & Cardanus in lib. 14. de rer. var. ex vetuſtis & modernis hiſtorjis obſeruaſſe ſe profitentur, monſtra numquam apparuiſſe, quin extraordinarij caſus contigiſſent: quare Ariſt. in lib. de hiſtoria animaliũ aliquãdo appellat monſtra, mox prodigia & portenta. Monſtra (inquit, Aug. 2. de Ciuit. Dei c. 8) dicuntur à monſtrãdo, oſtenta ab oſtendendo, portenta à portendendo, prodigia quaſi porrò dicant, id eſt futura prædicant.

EXERCITATIO XLII.

Apud Peripateticos quid ſit Neceſſitas, Fatum, Natura, Fortuna, Caſus, & Fors accuratè explicat.

NEceſſitas duplex eſt, vna quæ non habet cauſam, niſi primam cauſam, vt Solis ortus: altera quæ pendet ex antecedenti quocumque in ſe immutabiliter, vt calor ab igni, quare ſic definietur. Cõnexio immutabilis cauſæ & effectus: ita intelligentur omnia

nia quæcumque comprehenduntur, ſiue tanquam partes, ſiue tanquam ſpecies, ſiue tanquam effectus. Exempla, cor eſt, ergo animal eſt: Homo eſt, ergo animal eſt; Calor fit, ergo calefaciens eſt. Fatum eſt vis ordinatarum inter ſe cauſarum & effectionum. Hoc duplex, vnum commune in tota naturæ ſerie, quemadmodũ fatale, eſſe hyemem, cum Sol in Capricorno eſt. Quare Ariſtot. in meteoris fatalia tempora nuncupauit ſtatos voluendorum menſium circuitus. Alterum verſatur circa exiliora, veluti dicam, fatale mihi fuit vt ab Henrico Syluio iniuſtiſſimè læſus Britaniam inuiſerem: non omnis ergo neceſſitas Fatum eſt, Non enim fatale dicimus ignem calefacere, ſed naturale neceſſariũ: aliud igitur eſt Neceſſitas, aliud Fatum, Peripatetici ex 1. Meteor. & 5. Phyſ. quaſi ea ſit Ariſtot. ſententia, fatum in rebus tantum agnoſcunt naturalibus, quæ neceſſariam habent conſecutionem.

Natura eſt poteſtas Dei ad motus omnes ordinarios, eſt igitur eadem quæ & prouidentia, ſed effectus iſtius minus ſunt ampli, eiuſdem quippe poteſtatis eſt, Cœlum condidiſſe, creaſſe intelligentias, & culicem ex culice, quem creauerat, generaſſe: Ariſtot. vult idem eſſe Deum & naturam vt pa-

tet

tet ex 1. de cœlo tex. 32. Deus, inquit, & natura nihil facit fruſtra, Naturam appoſuit non quaſi adiutricem, ſed vt explicaret in potentia infinita, quę in Dei nomine cognoſcitur, potentiam quam voluit ille ordinariam quam Naturam appellamus Quin etiam poteſtatem primam illam Conditoris ſub eadem appellatione deſignauit in 2. de cœlo tex. 20. nam de ſyderibus, ac cœlo ſcribens, ait naturam nihil temerè facere, quare apud Ariſtot. Natura vis eſt Dei: atque ideo definiuit Principium motus & quietis: ſi eſt principium motus, ergo ipſa non habet principium: hoc autem cum ſoli Deo conueniat, naturam idem cum Dei poteſtate eſſe apud Ariſtot. conſtat: ipſe autem duplicem ſtatuit naturam. vnam, ſupremam in omnia entia poteſtatem, ſic nihil eſt pręter naturam, ne monſtra quidem, quando in natura ſunt; Altera natura eſt eadem, ſed non impedita cuiuſpiam externæ occurſu rei: præter hanc naturam multa fiunt. Fortuna nihil eſt, non enim quid ſit vel ipſe Ariſtot. definiuit, nec ipſi inquirunt Peripatetici: quippè non dicũt quid ſit fortuna, ſed quid ſit à fortuna, Nam theſauri inuentio, quem nactus eſt foſſor dum vineam paſtinaret, non fortuna, ſed à fortuna eſſe dici-

tur

tur. Cauſa (inquiunt) per accidens foſsio eſt inuentionis. At foſsio non eſt fortuna, ergo fortuna non eſt cauſa: quare omnino quid ſit fortuna non dicunt, nõ enim eſt vis connectens cauſam cum effectu. Caſus nihil eſt, non enim habet ſui cauſam, nec ipſe alterius cauſa eſt vt nomen indicat, ἀυτόματον quippe quod per ſe eſt, nõ habet cauſam, hoc ſignificat ἀυτὸ: quod temere accidit non eſt alius cauſa, hoc eſt ματον. Fors à fortuna differebat, quia fortuna eſt (vt aiebant) cauſa per accidens effectuum, aut euentuum ex propoſitis conſiliis, aut alioqui ſimplicibus animi motibus: at fors veteribus aliud fuit, ſanè ipſum ἀυτόματον, vnã enim rerũ omnium, atque etiam ipſius mundi cauſam faciunt, quia nulla rei cuiuſpiam ſit ordinaria cauſa: At Græci quidem, vti dicebamus, ſua voce temerarium motum intelligunt, Latini peius: at fors (inquiunt) quicque tulit: magno deliramento, ſiquidem fors nihil eſt, imo ne nomen quidem illi imponi debebat. Quare concludo omnia pendere à ſola prouidentia Dei: ab ea cauſas ſecũdas cõſtitutas, in natu- neceſſarias, in volũtate inclinãtes, nõ cogentes, vt infra probabitur: in euẽtibus rerũ immutabiles & fatũ dicitur, quare inexorabile dictum eſt à Poëtis, vbi Subtiliſsime nobis licet

licet adnotare, noſtris orationibus & ſacrificiis non mutari Deum ex irato in benignum, vt vulgus exiſtimat, Si enim Deus mutari poteſt, erit non ſemper idem, quare ſi antequam mutetur Deus eſt, poſtquam mutetur Deus non eſt, quippè velle, quod eſt in Deo, Deus eſt, quare ſi non habet eandem ſemper voluntatem, nec eandem Deitatem. Hæc autem vna cum ſit, vt potè infinita, ſi abeſt, nō alia in ipſo remanet, duo enim nequeunt eſſe infinita, eſſent enim duo principia prima, quare non erit Deus.

Item, imperfectum quid eſt mutatio, quare homines mutabiles imperfectiſſimi dicuntur. Sapientis autem eſſe ducimus mutare conſilium in melius. At hæc prædicatio Deo non conuenit, qui ſemper optimum eligit; Adde quod mutatio prouenit ex aliquo nouo euentu, aqui in Deo nihil eſt noui, ſed ab æterno cuncta in ipſius fuerunt contemplatione & quoad ſubſtantiam, & quod ad circunſtantias etiam minutiſſimas: Orationes autem & ſacrificia Deo exhibemus tanquam media ab ipſo nobis propoſita ad æternæ ſalutis conſecutionem. Scholaſtici dicunt mutari Deum quoad effectum, nō quoad affectum, quod ſanè quomodo intelligi poſsit non video, Deus enim cauſa eſt,

vt

vt ſit mutatio in effectu quare Pſal. cecinit: *Hæc mutatio dexteræ excelſi*, & Chriſtus Dominus inquit, *Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum*, At quomodo poteſt eſſe mutatio in effectu, & non in cauſa? Sed hæc inferius diſcutienda ſunt in tractatu de libero arbitrio.

EXERCITATIO XLIII.

Aduerſus Stoicos.

HActenus cum Athæis, Epicureis, & Peripateticis pro diuina prouidentia decertauimus, Nũc aduerſus aciem & ſigna aduerſus Stoicos dirigamus, qui quidem illam agnouerunt humanis rebus conſulentem, tribus tamen fœdiſſimis erroribus conſpurcarunt.

Primus Stoicorum error fuit, quo dum res humanas diuina prouidentia regi gubernarique cõfeſsi ſunt, omnium defectuum atque vitiorum, quæ in vniuerſo ſunt, Deum autorem conſtituerunt, his perſuaſi rationibus.

Prima: Inſtrumentũ taliter mouetur, qualiter à ſuo principali agente dirigitur, ſed voluntas humana in operando ſe habet veluti inſtrumentum, Deus autem vt agens princi-

pale, ergoſi illa male operatur, Deo adſcribi debet.

Secunda, Non aliter operantur homines, quam à ſydereis influxibus in ortu diſponuntur. Ergo ſi male agant, illis imputari tanquam cauſis principalibus debet.

Tertia, peccata in mundo ſunt neceſſaria, ergo à Deo originem habent. conſequentia probatur, quia Deus & natura non deſunt in neceſſariis. Antecedens probatur ex multis.

Primo, quæ ſemper ſunt, neceſſaria ſunt, ſed vitia ſemper ſunt in mundo vt patet, neceſſaria igitur.

Maior probatur authoritate Ariſtot. in 1. de Cœlo, & ratione, vt videtur, valida. Omne quod eſt, aut eſt neceſſarium, aut cõtingens; contingens diuiditur in cõtingens vt in pluribus, & vt in paucioribus, aut æquale, ſed nullum iſtorum ſemper eſt, ergo nullũ contingens ſemper eſt, nullum igitur quod ſemper eſt, contingens eſt, ſed quod non eſt contingens, eſt neceſſarium. Ergo omne quod ſemper eſt, neceſſarium eſt.

Secundo, non eſt poſſibile homines non peccare, neceſſariò igitur homo peccabit. Antecedens probatur. nihil dicitur poſſibile propriè & vniuerſaliter, niſi quandoque deueniat ad actum. Sed nunquam peruenit

neque

neque perueniet ad actũ, vt nullus aliquando peccet homo. Scriptũ eſt.n. *Septies in die cadit iuſtus.* Igitur poſſibile non eſt vt nullus homo peccet, Erit ergo neceſſarium.

Tertio, poſſe peccare ineſt homini ex natura, ergo & actus peccandi ex natura eſt, quia potentia & actus ſunt eiuſdem ordinis, ſed quod eſt ſecundum naturam, neceſſarium eſt aliquando eſſe. Ergo neceſſarium eſt eſſe aliquando peccata.

Quarto, & eodẽ ferè probatur argumento, poſſe hominem peccare eſt opus naturæ, ſed natura nihil agit fruſtra, ergo neceſſe eſt vt hæc potentia exeat ad actum, vt homo peccet.

Quinto, ad ordinem pulchritudinemque vniuerſi neceſſariæ ſunt præclaræ virtutes, Ergo & peccata neceſſaria ſunt, conſequentia probatur, quia illæ abſque iſtis obtineri non poſſunt, Tolle iniurias iniquorum, non erit patientia iuſti, Tolle ſæuitiam Tyrannorum, non erit gloria Martyrum.

EXERCITATIO XLIV.

Reſpondet aduerſariorum rationi primæ.

CVm in 13. exercitatione exactiſſimè à à nobis probatum ſit, Deum peccato-

rum autorem non eſſe, opus non eſt ſemel dicta recantare. Quare

Ad oppoſita diſſoluenda accedamus.

Ad primum: inſtrumentũ mouetur prout à ſuo principali dirigitur, ſed noſtra voluntas in ſuis operationibus ſe habet tanquam inſtrumentum, Deus verò vt agens principale, Ergo ſi hæc male operatur, Deo imputandum eſt.

Reſpondent noſtri Theologi, maiorem veram eſſe de inſtrumento inanimato, quale eſt ſerra mota à ſecante, non de inſtrumento animato & rationali, prout eſt voluntas humana reſpectu Dei, nam præter Dei operationem habet & propriam.

Reſponſio verò iſta mihi non arridet, nam hæc duo inſtrumenta quoad depẽdent à ſuo principali, à pari procedunt, niſi velimus in noſtra voluntate ponere aliquid, quod à Deo non dependeat.

Veritatem hoc argumento inquiramus: vel voluntas noſtra operatur aliquid abſque Dei motione, & directione, vel nihil: ſi ſecundum, coincidit cum inſtrumento inanimato: ſi primum, aliquid abſque Deo cauſetur neceſſe eſt, quare non erit ipſe prima cauſa vniuerſalis, ab hac vna vt cęteræ cauſę dependeant quoad eſſe & operari.

Quin

Quin imò aſſero, actiones humanas in operando dependere à Deo magis, quàm à Carpentario ſecurim: hæc enim licet in opere nõ moueatur per ſe niſi mota ab alio, habet tamen aliqua quæ non ſe tenent ex parte carpentarii, ſed materiæ ſuæ atque formæ, vt puta, quoad ferrum benè vel malè incidit: illa verò non ſolum quoad motum, ſed quoad ſubſtantiam quoque tota à Deo dependet, quare nihil eſt, quod eidem imputari verè poſſit, neque ex parte ſubſtantiæ, neque operationis, ſed totum Deo, qui voluntatem ſic formauit, & ita mouet: Si enim poſſibile eſſet, vt ſecuris à Carpentario reciperet materiam, figuram, & motum, nihil profectò remaneret in opere quod ſecuri imputaretur, ſed artifici totum: ita pariter cùm eſſentia & motus voluntatis ſit à Deo, adſcribi eidem debent vel bonæ vel malæ voluntatis operationes, ſi hæc ad illum ſe habet velut inſtrumentum.

Reſpondeo igitur ego ad argumentum negando minorem. Exiſtimo namque (ſi ita Sanctoſanctæ Romanæ placet Eccleſiæ) totam voluntatis actionem eſſe noſtram, quoad actum, quare nos meremur, & demeremur: nec vniuerſalem Dei cooperationem excludo, non enim nos operari poſſemus ſi-

ne illius generali concurſione, vt in Phyſicis, cùm graue ſe deorſum mouet, motus grauis illius non eſt à Cœlo ſecundum actum, quia ſi eſſet à Cœlo, cùm ſit mouens extrinſecum, neceſſe foret vt cœlum deiiceret lapidem, atque adeo totum quod inter cœlum eſt & lapidem interualli vna cum lapide deturbaretur; cumque non detur vacuum, cœlum deſcendere neceſſe eſſet; Dicendum igitur eſt lapidem immediatè & effectiuè mouere ſe deorſum, neque tamen nō moueri à Cœlo, ſubſtracta enim actione cœli lapis non moueretur. Ita pariter volūtas mouet ſe immediatè, mouetur tamen à Deo, & quatenus facultatem ei conceſsit mouendi ſeipſam, reliquit enim hominem Deus in manu conſilij ſui, & quatenus à Deo vires ſuppeditantur vt ſeſe poſsit commouere.

Dices: dedit voluntati, vt poſsit ſe mouere ad malum, ſed ex hac potentia ad malum ſequitur actus malus, huius igitur Deus eſt cauſa, quippè regula eſt, quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati.

Reſpondeo negando conſecutionem: ad probat. dico propoſitionem illam quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt & cauſa cauſati, procedere tantum in rebus naturalibus non voluntariis, quia voluntas eſt cauſa adæquata

duorum

duorum oppoſitorum, quod non eſt in rebus naturalibus, in quibus poſita cauſa adæquata ponitur effectus.

EXERCITATIO XLVI.

Reſpondet ſecundo argumento.

NOn aliter operantur homines quàm ab aſtris in genitura diſponuntur, ipſis igitur adſcribi debet ſi male operantur.

Reſpondent communiter D D. inclinare duntaxat aſtra non cogere voluntatem noſtram: ita Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei c. 5. & 6. tex. 2. ſuper Gen. ad lit. in 2. de doctrina Chriſtiana, in lib. 3. de Trinit. & alibi. Sequuntur Scholaſtici. B. Thom. lib. 3. contra Gent. c. 84. 92. & 96. in 2. ſent. d. 15. 9. 1. a. 2. In 1 part. 9. 115. c. 3. & 4. de poten. 9. 5. c. 8. in 2. de Gener. prope finem & alibi. Scotus in 2. Theolog. ſent. d. 14. 9. 3. & ibidem Bacconius, cæteriq; interpretes: At facili negotio iſtorũ authoritas ab Aſtronomis refellitur, vt potè quia vix quid ſint ſydera Scholaſtici norunt, nedum ſyderum virtutes. Ad Claudium igitur Ptolomæum appellant, Non abnuo, non recuſo: Ptolomæi dicamus iudicium. Is. in lib. 1. de Aſtr. Iud. c. 4. tex. 24. ita loquitur. *Non autem exiſtimandum eſt*

omnia à ſupernis cauſis in res rectà humanas deriuarari, tanquam inuiolabili, & diuino quodam edicto propoſito ſingillatim, vt nulla alia vis obſiſtere, quin ita illa graſſentur valeat, Nam ipſe quidē cœleſtium corporum motus ſempiternus eſt, & procedit diuino & inuariabili ordine & lege. Inferiora autē mutationibus ſubiiciuntur de ſuperioribus quidem & primis cauſis, ſed accidit hoc illis per conſequentiā legis & ordinis naturalis & variabilis. & tex. 25. probat Aſtrologiæ nobilitatem quia priuiſa tela, quominus ad nos perueniant, declinare poſſumus, & probat hoc exemplo. *Eodem modo & medici prædicunt de vlceribus, quæ vel vt ſerpant, vel vt putreſcant futurum pronunciant, Similiter & de metallis exemplum dari poſſit, vt ſi quis doceat lapidem Magnetem id eſt Herculanum, ferrum ad ſe trahehere, Nam quemadmodum horum vtrumque per ſe tendit rectam viam, in quam à primæ illius naturæ vi rapitur, ſi reliſtum ſibi ſit, ignoratione contrariæ effectionis, ſed ſi medicinam contrariam vlceri oppoſuerimus, neque illud iam ſerpet neque putreſcet, neq; lapis Herculanus* (cui hoc ouum ſine vitelllo præbet exorbendum?) *illitus allij ſucco iam ferrum attrahet ſicut igitur hæc obſiſtunt, & contrarias effectiones inducunt & fatali lege, ita in his quoque rebus fit, de quibus loquimur: ignorata enim] aut præuiſa quidem, ſed neglecta*

tamẽ ea, quæ hominibus euenire debeant, haud dubie ſeriem primæ illius naturæ ſequuntur, præuiſa autem & ſortita curam, naturaliter & fatali etiam lege aut auertũtur penitus, aut leuiora efficiuntur. & text. 27. (inquit) *Ægytij à quibus maximè auctam huius artis vim ſcimus adiunxere vbique Aſtronomicis preuiſionibus medicinæ præcepta. Neque illi conſtituiſſent expiationes & auerſiones & curas eorum, quæ ab aëre vel inciderent, vel imminerent, & in vniuerſum, & ſingillatim, ſi in ea opinione fuiſſent, amoueri illa aut auerti nullo modo poſſe.* & in Centiloquio propoſitione 8. Aphoriſ. 5. *Poteſt huius ſcientiæ profeſſor multos effectus ſtellarum euertere*, ſimile repetit pluribus in locis. Quod ſi ex Ptol. ad rationis tribunal appellant, præceptorem ipſimet ſuum ignorantiæ redarguunt, cumque non ſit diſcipulus ſupra magiſtrum, ſibi ipſis eandem vel maiorem ignorantiæ notam inurunt. Sed ipſorum rationes audiamus.

Inſurgunt igitur rigidiores Stoici, vel potius Stoico-Aſtronomi ex vna parte aſſerentes, aſtra cogere ad malum, & per conſequens ipſa eſſe malorum cauſas. ex altera verò parte leniores Stoici probant, ſi aſtra tantum inclinant, adhuc eſſe Deum cauſam fœdiſsimarum actionum, quia ad illas dedit inclinationem.

Regidiores ſic obiiciũt, totum eſſe, & operari inferiorum depẽdet à ſuperioribus tanquam à cauſis primis, & eſſentialibus: ergo falsò quod inclinant tantùm & diſponunt. Conſequentia probatur, nam diſponentia & inclinantia videntur eſſe cauſæ accidentales, & poſteriores.

Reſpondeo, corpora cœleſtia, nõ ſolùm ea, quæ eis directè ſubiiciuntur, qualia ſunt materialia, inclinare & diſponere, ſed etiã procreare cauſarum inſtar eſſentialium. Verùm, quia actiones noſtræ eis directè non ſubiiciuntur, cùm dependeant à voluntate, quæ cùm ſit immaterialis, ipſis obnoxia non eſt, ideò non poſſunt ab ipſis cœleſtibus corporibus cogi vrgerive, ſed inclinari tantùm, atque diſponi. Hanc autem inclinationem, diſpoſitionemque ab eis accipit noſtra voluntas, quatenus præſupponit intellectum, cuius cognitio depẽdet à ſenſu, ſenſibile verò directè, & per ſe cœleſtibus ſubiicitur corporibus tanquam ſuis cauſis primis & eſſentialibus.

Obiiciunt ſecundo. ſi ſydera non cogunt, ſed diſponunt duntaxat voluntatem, ergo adhuc ſtante tali ſyderea inclinatione poteſt voluntas agere aduerſus illam: tunc quæro, Nunquid in ea actione, qua voluntas incli-

nationi ſuperiorum agentium aduerſatur, ab ipſis ſuperioribus dependeat, vel non? Primũ non eſt aſſerendum, quia ſibimetipſis ſuperiora aduerſarentur: neque ſecundum, quia agens ſecundum in operari non dependeret à primo; quæ omnia abſurdiſsima ſunt, ſimiliter igitur erit concluſio, à qua dependent.

Reſpondeo voluntatem non dependere à corporibus cœleſtibus in actione, qua eis reſiſtit: illatio, ergo agens ſecundum non dependet à primo, negatur: primum namque agens voluntatis Deus eſt vt dicit Ariſtoteles in lib. de bona fort. non corpus cœleſte, quod dominium non habet in agentia immaterialia, prout noſtra eſt voluntas.

Obiiciunt tertio, diſpoſiti ad ſcelera vt puta, Saturnini, Martiales, & Mercuriales ſemper agunt ſecundum congenitam diſpoſitionem. Ergo non tantum diſponunt, ſed & ſydera cogunt, quod enim ſemper eſt tale, neceſſario eſt tale.

Reſpondeo antecedens non eſſe abſolutè verum. vt patet hoc etiam ex relatis ab Alberto in 1. de Animal. in tract. de Phiſionomia. Plut. in vita Niciæ & Craſsi. in cap. vbi eos ſibi inuicem comparat, ſic inquit, *cum nullum diuinationis ſignum Nicias aliquando negligeret*

gligeret hic verò omnia penitus Deorum portenta contempſerit, vtriuſque idem fermè exitus fuit. Auguſtus quoque multa pericula euaſit præuidens fatum, idemque refert Val. Max. in 1. lib. Sed quid hiſce diuitius immoror nugis? cùm Ptol. Aſtrologorum princeps in Aphoriſ. 8. pro vero accipiat illud, *Sapiens dominabitur aſtris*, vt plurimum tamen euenit, vt plerique congenitam aſtrorum ſequãtur inclinationem ad ſcelera, perpauci enim ſunt, qui rationis auſcultent dictamini & morem gerant, quam plurimi verò ſenſibus ducuntur & reguntur, qui prædictis diſpoſitionibus Aſtrorum infecti affectique ſunt, cuius rei rationem hanc aſsignat Ptol. lib. 3. de Aſtr. Iud. c. 16. tex. 65. quia Mercurius rationi, Luna animæ ſenſitiuæ præeſt, at Luna plerumque validior eſt Mercurio duabus ex cauſis, prima quia longè maior eſt corpore & validior lumine: altera quia Mercurius propter paruã diſtantiã loci eius à Sole, ſemper plerunque eſt ſub radiis eius. Præterea quemadmodum vna virtus diſponit ad alias virtutes, cùm ſint cõnexæ, ita vnũ peccatũ diſponit ad aliud, & fit habitus, qui difficillimè exuitur aut deponitur: quare Saluſtius in Catilinario dicit, in patriæ euertendæ deſideriũ incidiſſe Catilinã quia Oreſtillæ, (quæ ipſius filium

filium pertimeſcebat) amore captus propriũ filium veneno ſuſtulerat.

Stoici leniores licet exiſtimant aſtra tantum inclinare, ex hoc tamen à malorum efficientia Deum non excludunt, ſic arguentes: hæ diſpoſitiones ad ſcelera diuerſa, quæ multis in hærent, proculdubio ſunt à Deo, qui autor eſt totius entis. Vel igitur ſic diſpoſiti labuntur in vitia, vel non: ſi primum, ergo ex Dei diſpoſitione: ſi ſecundum, igitur vana, & ſuperuacua & ocioſa redditur actio diuina, cùm hæ diſpoſitiones ad ſimiles lapſus à Deo ordinatæ, effectum non conſequantur.

Reſpondeo has diſpoſitiones datas eſſe à Natura, quæ diuinæ potentiæ vis eſt atque facultas, non vt volutatem ſuperarent, ſed potius vt ipſæ à voluntate ſuperarentur, quare voluntati dedit potentius fortiuſque dirigens, quàm verò inclinans. Dirigens namque voluntatem eſt ratio quæ immaterialis eſt & æterna, diſpoſitio inclinans voluntatem corporea & materialis.

Obiiciunt Secundo. Hæ diſpoſitiones ad peccata ſunt cauſa peccati, at hæ diſpoſitiones ſunt à Deo, Ergo Deus eſt cauſa peccati.

Reſpondeo negando Maiorem, non enim diſpoſitiones, ſed voluntas eſt cauſa peccati,

hæ

hæ namque diſpoſitiones vel auferũt vſum rationis, vel non : ſi primum, non poteſt intercurrere peccatum, non enim culpa eſſe poteſt, vbi ratio non habet imperium. Si ſecundum, voluntas remanet libera in operando, ei igitur imputari debet ſi male operatur.

Obiiciunt Tertio, diſponens proximum ad peccandum, peccat, & ſi non cogat. Ergo & peccabunt ſydera, ſi nos ad peccata duntaxat inclinant.

Reſpondet Præceptor meus negãdo conſequentiam, non enim par eſt ratio in vtriſque : corpora cœleſtia diſponunt in rem & commodum noſtrum, quippe vt ſuperantes diſpoſitionem, virtus noſtra clarior efficiatur, quare Ariſtot. in 2. Oeconom. de Penelope & Alceſte, inquit, quia multa aduerſa paſſæ ſunt, ideò magis claruerũt, alioquin ſine aduerſitatibus fuiſſent ingloriæ. Homo autem peruerſa intentione proximum diſponit ad malum, nempe vt ad peccandum inducat, quod ſi tentandi ſaltem gratia id faceret, vt illius virtus obluctando corroboraretur, nõ peccaret, immò gratũ opus Deo exhiberet, D. Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei. c. 31. inquit, *neque omnis eſt culpanda tentatio, quare & gratulanda eſt, quæ fit probatio, &*

plerun

plerumq; humanus animus ſibi ipſi innoteſcere non poteſt, niſi vires ſuas ſibi non verbo, ſed experimento tentatione quodammodo interrogante reſpondeat. Vbi ſi Dei munus agnouerit, tunc pius eſt, tunc ſolidatur firmitate gratiæ, non inflatur in nouitate iactantiæ.

Eſt & alia diſparitatis ratio, nam ſi ſydereę inclinationes ad malum reducantur, illud ordinatur ad bonum, & maius bonum: At ſecus eſt in impiorum perſuaſionibus ad malum, quia non niſi peruerſum finem intendunt: ſit exemplum, Socrate naſcēte, Saturnus reſpexit ex Scorpio, & veneno ipſi comminatus eſt inferendam necem, in ipſius tamē Socratis emolumentum, vt fortitudinis illuſtre ederet ſpecimen, & in vniuerſorum cōmodū, vt nimirū eius illuſtriſſimo exēplo inducti, pro veritatis tutela mortē nō pertimeſcerent: Areſtypus interrogatus, qualis mortuus eſſet Socrates, reſpōdit, vtinam mihi ſimilis mors cōtingeret. Vnde natura deſpiciens partem, reſpexit totum, & mediocre permiſit malū, vt inde maius cōſequeretur bonum. Socrates autem interfectores vno eodemque peruerſo permoti ſunt fine. Hæc ex abditiſſimis Aſtrologorum ſecretis accepimus, reliquæ perplebeiæ Aſtrologorum rationes non ſine fuco, ſed

ſine

ſine rationis fulcro diſputantur à modernis. Cæterum, qui omnium optime de hoc argumento ſcripſerit, eſt Dominus Iohannes Maria Genochius Clauaro-Genuenſis vir ſanè Reipublicæ literariæ colendiſſimus, in ſuo celebri opuſculo de Gratia & lib. Arb.

EXERCITATIO XLVII.

Reſpondet vltimæ rationi.

PEccata in orbe ſunt neceſſaria, à Deo igitur efficiuntur.

Reſpondeo, Antecedens non modò eſſe falſum, ſed etiam implicatoria includere; in formali namque ratione peccati includitur liberum arbitrium, & contingens: hoc autem neceſſario repugnat.

Qui apud nos habentur ſapientiores exiſtimant vniuerſali ineſſe neceſſarium, qualibet ſingulari exiſtente contingenti: veluti hæc, quilibet homo exiſtit, eſt neceſſaria: quælibet tamen eius ſingularis eſt contingens: & ſi tu es, de ne neceſsitate es in aliquo loco, cùm tamen quocunque loco aſsignato, contingenter ſis in eo. Conſimiliter aliquem peccare neceſſe eſt, quilibet tamen peccans, contingenter peccat. Quare noſtrę rationi reſpondent, neceſſitatem, & contingentiam

gentiam pugnare inuicem, reſpectu vnius determinati:neceſſitatem verò in vniuerſali & contingentiam in particulari non opponi:quare verum erit dicere: neceſſarium eſt aliquis vt homo peccet indeterminatè quidem,quilibet tamen peccans liberè, & contingenter peccabit.

Sed hæ rationes illuſiones mihi potius videntur: ſimile namque eſt, ac ſi Rex aliquis conderet legem vt vnus è ſubditis de neceſſitate Caium interficeret, quiſquis tamen eſſet ille qui Caium occideret capitis pœna plecteretur, quoniam potuit ab homicidio ſe abſtinere, nam alius id præſtitiſſet. Atqui nonne Rex ille non modo iniuſtus verum & fatus haberetur? Talis autem ſecũdum noſtros Theologos lex Dei eſt, vult enim (inquiunt) Deus ſint de neceſſitate ſcelera,& tamen quicũq; ſcelus cõmitit, liberè peccat,& per cõſequẽs iure merito punitur.

Sunt autem ipſorum ratiunculæ ineptiſſimæ:Primæ aſſerenti aliquam vniuerſalem eſſe neceſſariam, qualibet ſua ſingulari exiſtente contingenti, vt quilibet homo eſt, neceſſario ſemper eſt verum, quælibet tamen eius ſingularis eſt contingens.Reſpondeo in iis, quæ à libero arbitrio non dependent,ſi aliqua vniuerſalis eſt neceſſaria, ſin-

gularem determinatè eſſe contingentem, indeterminatè verò ſingularem eſſe neceſſariam. Sit exemplũ. Si mundus eſt æternus, neceſſariũ eſt hominẽ eſſe:ſingularis autem determinatus homo (vt puta) Titius *erit* contingens, ſingularis autem indeterminata, videlicet eſſe in mundo plures ſingulares homines, neceſſaria eſt, alioquin ſuum eſſe vniuerſale non eſſet neceſſarium:licet enim nullum ſingulare materiale ſit æternum, non poſſunt tamen omnia ſingularia exhauriri, nam de neceſſitate generationi ſuccedit generatio, ſuppoſito quod mundus ſit æternus ſecundum vnamquamque ſpeciem in actu: in iis autem quæ ex libero arbitrio dependẽt,ſi neceſſariũ eſt eſſe in vniuerſali, ita quoq; in particulari determinatè,& in determinatè,quoniã hæc contrarietatẽ includũt.

Quapropter patet ſolutio ad inſtantiam: eſſe hominem eſt neceſſarium, & tamẽ eſſe ſingularem hominem eſt contingens,dico,ſi exlibero arbitrio dependeret hominem eſſe,non foret neceſſarium hominem eſſe, ſicut neceſſarium non eſt Talis vt ſit. Quare cum peccare dependeat ex libero arbitrio, neceſſarium non eſt nec in vniuerſali, nec in particulari.

Secundæ rationi, te exiſtentem neceſſa-

rio

riũ eſt eſſe aliquo in loco, quocunq; tamen aſſignato,in illo contingenter exiſtis.

Reſpondeo in te eſſe aliquam libertatem, & aliquam neceſſitudinem: quoad locum determinatum liber es, quoniam deducto impedimento in quocunque loco eſſe potes: Eſt & neceſſitas, quia ſimpliciter non potes te abſoluere à loco, vnde ſi ex vno diſcedis,in alium te cõferas neceſſe eſt. Secus tamen eſt de peccatis, quia ſi vnum euitas, non de neceſſitate committis alterum, quare non eſt neceſſarium te peccare, ſed dum exiſtis,neceſſarium eſt te eſſe in aliquo vbi.

Concludamus igitur aduerſos Stoicos implicatoria continere hoc ipſorum axioma. Peccata ſunt neceſſaria.

Sed plumbeos nunc ipſorum pugiones, quibus ſuas ratiunculas propugnare conantur,retundamus.

Primo, quæ ſemper ſunt, neceſſaria ſunt,

Reſpondeo maiorem veram eſſe de his quæ ſemper ſunt ex cauſa naturali,vt opponitur voluntariæ,non autem de his quę ſemper ſunt ex cauſâ libera:ideò enim ſemper ſunt in mundo & mala & bona, quia voluntas ſemper fuit libera ad operandum bonum & malum; quare ad probationem maioris, dico diuiſionem illam de contingenti

in pluribus,in paucioribus,& æquali, intelligi de contingenti naturali,non voluntario.

Ariſtotelis autoritatem in hoc nō admitto, nā ſibimetipſi contradicit, aſſerit namq; in libris Ethicorum,in lib. 1. Perier. cap.7.& alibi,volũtatem noſtram eſſe liberam, quod ſi voluntas eſt libera, rectè aſſeritur aliquid ſemper futurum,quod tamen non ſit neceſſarium.

Secundo, poſſibile haud eſt homines non peccare, igitur homo neceſſariò peccabit, Reſpondeo negādo antecedens. Ad probationem. nunquā extitit mundus ſine peccatis, ergo non eſt poſſibile, nam propriè & vniuerſaliter poſſibile aliquando deuenit ad actum;conſequenti conceſſo,antecedēs nego: nam Adamus & Eua, qui ſoli erant in mundo per aliquod temporis ſpatium peccati fuerunt immunes. Item poſt vniuerſale Diluuium fuit orbis per aliquot tēpus peccatorũ ſordibus non coinquinatus.quare ſic retorqueo argumentum, Ad hoc vt aliquid dicatur poſſibile fieri, non requiritur vt in omni tempore fiat, ſed ſufficit vt aliquando factum fuerit:atqui ex adductis demonſtratur mundus aliquando fuiſſe abſque peccatis, illis igitur orbem opus non habere, ſed facilè carere credibile eſt.

Tertio:

Tertio:poſſe peccare ineſt homini ex natura, Ergo & actus peccandi.Reſpõdeo negando conſequentiam. Ad probationem. Cuius eſt potentia,eius eſt actus:dico id eſſe intelligendum, quatenus poſſe facere eſt eius qui facit,& facere eſt eius qui poteſt facere, non tamen oportet, vt ſi potentia eſt à natura, ab eadem quoque ſit actus. nam potentia volendi à natura eſt, non à noſtra poteſtate, actus tamen volendi, id eſt, velle eſt à nobis, & in noſtra poteſtate, non à natura, quia, vt ſic, non eſſet in noſtra facultate,eſſet enim neceſſarium.

Ad quartum.poſſe peccare eſt opus naturæ, ſed naturæ opus incaſſum redigi non poteſt, igitur neceſſe eſt, vt hæc potentia exeat ad actum, & ſic de neceſſitate homo peccabit.

Reſpondeo ingenua confeſſione argumentum in via Ariſtotelis eſſe inſolubile, quia nihil fruſtra in natura, potentia verò à natura eſt data, vt aliquando actum conſequatur. Vnde ſecundum Ariſtot. monſtra ſunt neceſſaria, quia niſi natura aliquando deficeret, fruſtra dediſſet vt poſſit deficere, quare appoſuit impedimenta ne vana eſſet Naturæ facultas,vt dicit Comment.2.Phyſ. Com.48.

Attamen apud nos Chriſtianos nullius eſt ponderis, dicimus enim, naturę opus non eſſe otioſum & ſuperuacaneum, & ſi potentia peccandi ad actum non reducatur, quia data eſt homini hæc potentia non ad peccandum, ſed vt potens peccare non peccet ad maiorem ſui perfectionem, ac meritum.

Dices: potentia reſpicit actum, ergo potentia ad peccandum, ordinata eſt ad actum peccati.

Reſpondeo negando conſequentiam, non tenet enim argumentum de potentia ad ordinationem, potentia namque peccandi in ſe reſpicit actionem peccati: vt autē à Deo & à natura ordinata eſt, reſpicit ſolū actum tentationis. E. G. potentia iraſcendi in colerico, in ſe reſpicit actum iræ, data tamen à Deo eſt non ad iraſcendum, ſed vt facilè quis incitaretur, & quoquomodo ad iram commoueretur, citra peccatum tamē, imò ad maiorem perfectionem virtutis, ſi enim quis non incitatur, non iraſcitur, præclaræ virtutis actionem minimè exercet: glorioſiſſimam tamen qui irę ſtimulis agitatus, iracundiæ motus rationis fræno compeſcit: nam vt ait Scriptura *virtus in infirmitate perficitur*, & *non coronabitur niſi qui legitimè certauerit*: Potentia ergo peccandi non

non in peccatum, ſed in actionem circa peccatum ordinatur, vt virtus dicatur quà conſiſtit circa difficile.

Ad vltimam probationem: Ad pulchritudinem, ac vniuerſi ordinem neceſſariæ ſunt præclaræ virtutes, ergo & peccata. Nego cõſequentiam. Ad probationem: Virtutes non poſſunt abſque præcedentibus peccatis obtineri, vt probatur exemplo Martyrij, & patientiæ, quæ Tyrannorum ſæuitiam, inimicorumque iniurias præſupponunt.

Reſpondeo: totum id eſſe à veritate alienum, licet enim Martyrium ſecũdum actum præſupponat peccatum, virtus tamen Martyrij minimè: poteſt enim haberi ab eo, qui non eſt actu Martyr, dummodo paratus ſit abſque pœnarum formidine in cõſpectu cuiuſque Tyranni Chriſti nomen infracto animo confiteri: cõſimiliter ſi quis nulli remittat aut indulgeat quod à nullo læſus ſit, ſi firmi fuerit propoſiti, ſi lædendus aliquãdo ſit, facilè ſe & tranquille paſſurum, veræ patientiæ virtute ipſe præditus eſt, & fortaſſe magis quam qui acceptam iniuriam condonat, poteſt enim iſte non læſus maiori cum charitate indulgentiæ actum elicere; Quare tantum abeſt vt ceſſantibus peccatis ceſſet vir-

tus, vt longè perfectior potius exiſtat & cumulatior.

EXERCITATIO XLVII.

Subtiliſſimam proponit ac diſſolutt difficultatem.

EA eſt; quia Chriſtianorum opinio cum Stoicorum ſententia conſentire, vel illa deterior eſſe prima facie videtur.

Conſentit quidem: Nos enim Chriſtiani dicimus Deum concurrere ad peccata permiſſiuè: tunc ſic, Deus permittendo peccata vel facit quid melius, vel deterius: non deterius, quoniã hoc Deo ſummo bono nõ conuenit, igitur melius: ſed ſi melius efficit Deus cùm peccata permittit, & ſic permittendo omnes ferè homines labũtur in ſcelera, ergo melius eſt omnes pœne homines eſſe ſceleratos, atque facinoroſos. Quare conſentit & coincidit cum Stoica opinione aſſerẽte, mala expedire pro bono vniuerſi.

Secũdo coincidit, quia dicitur 2. Phyſ. abſentia Nautæ cauſa eſt ſubmerſionis Nauis, & ad genus cauſæ efficiẽtis reducitur, neque culpandus ob id quia effectiuè nauim ſubuertit, verum etiam, quia naufragiũ vbi præuidit, & potuit, non prohibuit.

Dete

Deterior autem noſtra opinio quibuſdam Atheis videtur, quia potens prohibere naufragium,& non prohibens, peior exiſtimatur quàm qui ſubmerſit, vel in ipſum naufragiũ impulit, hic namque palam, ille verò clam & doloſe egit.

Secundo, Deus ſecundùm Stoicos nõ poteſt efficere, mala ne graſſentur in orbe, cùm vniuerſi natura ſic exigat: At ſecundum nos Chriſtianos poteſt Deus præſtare ne ſint peccata, & tamen non præſtat, quod longè maiorem redarguit malignitatẽ, nàm vt dicitur in ſecundo Metaph. qui claudicat tibiam habens extortam excuſabilior eſt eo, qui claudicat voluntate.

Reſpondeo negando has duas opiniones inter ſe coincidere. Stoica namque opinio aſſerit Deum efficere, Chriſtiana verò permittere peccata: efficere autem & permittere non coincidunt, quia ſola permiſſio nõ eſt ſufficiens cauſa effectus.

Nec obſtat prima ratio: dicimus enim melius eſſe vt Deus peccata permittat, quia ſic homo remanet liber in operando, quod eſt optimum. Ad illationem, Deo peccata permittente omnes pœnè homines labuntur, dico homines labi non quia Deus permittit,

ſed quia noſtra voluntas ſequitur ſenſum & delectabile.

Naucleri autem exemplum non facit ad propoſitum, ipſi namque cura Nauis demandata eſt, quare tenetur illius ſubmerſionem præcauere, ſi ſecus facit, merito in ipſum omnis culpa confertur: Deus autem nullo modo tenetur peccata arcere & propulſare, tum quia ab omni obligationis vinculo ſolutus eſt, tum quia poſuit hominem in manu conſilij ſui.

Adhæc, Dei permiſſio non efficit peccata, Naucleri verò negligentia in tẽpeſtate etiam leuiſſima naufragij occaſionem præbet. Adde quod Nauclerus ſi negligat nauim in tempeſtatis diſcrimine, faciles fluctibus decumanis in nauim aditus parat: At Deus piiſſimus ille omniũ noſtrũ parens etſi æquiſſimis de cauſis ſibi ſoli notis peccata permittat, ad illa euitanda ſufficientia ſubminiſtrat nobis & præſtat adiumenta.

Multo verò minus noſtra Stoicorum opinione deterior eſt, Deus enim abducit homines à peccatis, non verò ad ea inducit: remouere autem & à peccatis prohibere, tantem abeſt vt deterius ſit, vt etiam longis antecellat paraſangis.

Ad primum argumentum aſſerens doloſum

ſum eſſe Deum, cum poſſit homines tutari à peccatis, neque tamen defendat. Reſpondeo negando couſecutionem, quippe ad hoc non tenetur, imò miſericors potius dicendus eſt, cùm ex inexhauſto benignitatis ſuæ fonte, qui nullis certis legibus aut abũdat, aut exareſcit, per humaniter in nos ſuperabundantem gratiam deriuet atque deflectat.

Ad ſecundum dico: ſi Deus ſecundum Stoicos eſt veluti claudicans, naturaliter in Deo eſſe defectum: noſtra autem ſententia non inducit Deum claudicantem neque ſecundum naturæ ipſius proprietatem, neque ſecundum voluntatis inclinationem, vt facilè ex ſupradictis colligi poteſt.

EXERCITATIO XLVIII.

Aduerſus Stoicos.

TOto inſuper cœlo aberrarunt Stoici, dum diuinam quidem prouidentiam lubentes profeſſi ſunt, ſed regere tamen omnia, & proſpicere rebus humanis Deum non pro arbitratu ſuo, ſed ex neceſſitudine exiſtimauerunt.

Quibus adducti fuerint rationibus, nullibi lego: vt autẽ Veritas diſputãdo eluceſcat, in ipſorum gratiã ſic mihi liceat ratiocinati.

Primo

Primo,ſi Deus contingenter ageret,indeterminate ageret, ſed agere indeterminate dicit imperfectionem agentis. Ergo Deus non agit contingenter, quippè remouenda omnis eſt à Deo imperfectio.

Maior probatur:ſi Neceſſarium eſt quod non poteſt non eſſe: ergo neceſſario agere eſt non poſſe non agere,contingenter igitur agere eſt indeterminatè agere: ſi quidem contingens eſt quid indeterminatum.

Minor patet:eſſe namque aliquem de re aliqua efficienda indeterminatum ex aliquo defectu prouenit, vel quia nõ ſapienter conſuluit, vel non recte quomodo in effectum res deducenda percipit, quæ diuinæ Sapientiæ repugnant.

Secundo: Aut Deus ab æterno determinauit,quæcumq; fecit,facit, & faciet, aut non: ſecundum concedi nullo modo poteſt. hoc enim modo foret aliquid,vel fuiſſet, vel futurum eſſet, quod ex Dei volũtate determinationeque factum non eſſet,vel non fieret; ſi detur primum, Deum ſc. omnia ab æterno diſpoſuiſſe,tunc quæritur, aut igitur quæ futura, & à Deo determinata ſunt,poterunt aliter eſſe quàm erunt, aut non. ſi concedatur ſecũdum, omnia fatali quadam & neceſſaria conſecutione euenient iuxta

Stoico

Stoicorum errorem de ſeruo arbitrio: ſi admittatur primum, ventura ſcilicet aliter eſſe poſſe quam erunt, Deum mutari neceſſe eſt. Hoc autē probo, nō poſſunt aliter eſſe quàm erunt niſi ad modum illū à Deo determinētur. Sed ex hypotheſi iā Deus determinauit oppoſitum. Ergo ſi illud fieri debet, aliā in Deo fieri conſtitutionē oportet. Hoc etiā manifeſtatur ſic. licet dicere aliter erit, ergo aliter Deus diſponet, bene ergo ſequetur, poteſt aliter eſſe, igitur poteſt Deus aliter diſponere, quia ab eſſe ad poſſe valet conſequentia. quare ſi Deus ab æterno decreuit ſic fore, & poſsibile eſt non ſic fore. Non autem poſsibile eſt non ſic fore, niſi Deus determinet ſic non fore, Ergo Deus poteſt ſuam determinationem mutare.

Tertio: ſi Deus agit contingenter, ergo poteſt agere, & non agere, ſiquidem hoc eſt de formali ratione contingentis, ſi igitur vnum illorum aget, aut nunc eſt determinatus, vel non: ſi non eſt, & determinabitur, Ergo mutabitur ex indeterminato, in determinatū: ſi verò nūc eſt determinatus ad vnū, & poteſt etiam alterū agere. Cū non poſſit hoc aliud agere, niſi ad illud ſe determinet, igitur poteſt ad illud alterū ſe determinare, Sed vna determinatio non ſtat cum altera, quia

quia actus ſunt impoſsibiles, ergo poteſt amittere hãc determinationem, & aliam acquirere, & ſic poteſt variari, ſed hoc eſt impoſsibile, ergo & impoſsibile eſt Deum agere contingenter.

Ariſtoteles quoque docuit Deum de neceſsitate agere, ea ratione ductus: quia non poteſt de nouo incipere mouere niſi primum motum præcederet motus, & cum ante vniuerſum non eſſet niſi Deus, ſi ipſe eſt effector & totius molitor, mutatio fuiſſet in ipſo.

EXERCITATIO XLIX.

Iulij Cæſaris ſententiam adducit.

Solaſtici poſt infinita propemodum quæſtionum inuolucra ſic explicare hanc ſolent; Deus de neceſsitate operatur ad intra, contingenter ad extra. De illa nos hic non diſſerimus, agimus enim aduerſus veteres Philoſophos quibus illa omnino fuit ignota. De hâc inſtituitur quæſtio; Ad cuius enucleationem antequam accedamus, apud ſubtiliora ingenia deprecor, ignoſcant nobis hanc ſcholaſticam locutionem, Deus agit ad extra, cum enim Deus vbique ſit, propriè agere ad extra non videtur, ignoſcant inquam, quia aliàs diſtinguere

guere haud poſſemus à noſtra creatione ineffabilem diuinarum perſonarum, cùm Filij ab æterno generationem, tum Spiritus Sancti ante omnia ſæcula productionem. His poſitis ad quæſtionem accedamus.

Chriſtianorum ſententia, Deum liberè, & contingenter agere ad extra, cum enim ex verbo Dei conſtet mundum habuiſſe initium & habiturũ eſſe finem, Chriſtiana veritate compellimur]dicere, Deum libere & contingenter operari ad extra, alioquin hos ſidei articulos deſtruemus. Nam ſi Deus non contingenter agit, igitur neceſſario, cumque mouet cœlum, neceſſario illud mouet, non poteſt igitur non mouere cœlum, non igitur ceſſabunt cœli à ſuo motu, & quemadmodum de neceſſitate mouet cœlum, ita de neceſſitate mouit, non igitur motus incepit, neque deſinet eſſe, & per conſequens hic ordo vniuerſi non variabitur.

Pro cuius perdificilis quæſtionis enucleatione.

Dico primo, Deus agit ad extra contingenter, ita vt pro vno tempore poſſit immediate producere vnum oppoſitũ, & pro alio tempore alterũ: quare mundum initiauit, & mundum finiet vt ſacra teſtatur pagina. Huius concluſionis veritas demonſtrarur quia cum

demonſtretur eo,quia cùm duo oppoſita diuerſis temporibus poſſit efficere humana voluntas,quanto magis diuina.

Dico ſecundo (ſubiiciens hoc idem ſicuti cætera omnia infallibili Sacroſanctę Romanæ Eccleſiæ iudicio) Deum non agere contingenter ad extra,ita vt pro eodem tempore poſſit diuiſiuè vtrumque oppoſitorum producere. Moueor hac ratione, ſi poteſt Deus pro A. tempore producere Titium,& pro eodem A. tempore Titium non producere, ita vt ipſe ſit vtriuſque cauſa adæquatà, nullo alio concurrente,vel iam eſt determinatus ad vnum iſtorum oppoſitorum,aut non:ſi non,cùm in A. tempore de neceſſitate vna pars erit illorum oppoſitorum,& non erit,niſi Dei adſit determinatio. Ergo Deus mutabitur de indeterminato in determinatum : ſi verò iam eſt determinatus, & poteſt aliter eſſe,hoc eſſe non poteſt niſi ſit alia determinatio. Cùm autem illa non ſit compoſſibilis(ita vt loquar)huic quæ eſt,iſta deſinet eſſe,& illa incipiet, quare in Deo erit mutatio, quod deſtandum potius quàm aſſerendum.

Non ſum neſcius complures noſtræ ſententiæ refragaturos, ſed inde ad annos bis mille vſque non niſi hanc vnam ipſamque

leuiſsi

leuiſsimam obiicere poſſunt ratiunculam: voluntas diuina cum ſit potentior quàm humana & efficacior, præſtare facillimè poteſt quæcumque & noſtra exequi voluntas valet. At iſta poteſt in A tempore facere vnum, & pro eodem A facere oppoſitum diuiſiuè tamen. Ergo tanto magis illa ſuprema & eminentiſsima voluntas.

Reſpondeo, maiorem veram eſſe reſpectu illarum actionum, quas noſtra voluntas ex ſua perfectione exercet, non ex imperfectione, nam voluntas noſtra poteſt peccare, diuina non poteſt:modò ad minorẽ.Sed volũtas humana poteſt in A.tẽpore facere:vnũ in eodem A.tempore facere oppoſitum, diuiſiuè tamen, vtpotè propter ſuam imperfectionem, quia variabilis eſt, quare non exiſtens determinata poteſt determinari, & determinata ad vnum poteſt determinari ad alterum. Ad concluſ. Ergo idem poteſt efficere diuina voluntas. Negatur; omnis enim imperfectio à Deo remouenda quàm longiſsimè eſt.

Dices, poteſt noſtra voluntas pro A. inſtanti producere B. effectum, & eius oppoſitum,ſed ad hũc actum voluntatis,ſc. ad producendum B. & eius oppoſitum, in eodem inſtanti Deus concurrit, ergo ſi noſtra vo-

luntas ſic operando variatur, variabitur & Deus, qui actiones noſtras ſua concurſione concomitatur.

Reſpondeo: Deum concurrere ad actus noſtræ voluntatis, harum tamen actionum determinationem non eſſe ex Deo, ſed ex noſtra voluntate, quam liberam eſſe voluit. Vnde ſi Iudas peccauit in A. tempore, non ideo peccauit, quia Deus, ſed quia ipſius Iudæ voluntas ſic determinauit.

Cùm ergo non ex parte Dei, ſed noſtræ voluntatis ſe teneat determinatio, ex parte eiuſdem procedet variatio, hæc enim ex determinatione oritur.

Noſtra autem ſententia aſſerens Deum non poſſe pro eodem tempore producere vnum, & eius oppoſitum, intelligitur (prout in noſtræ concluſionis initio diximus) de his quorum Deus eſt cauſa totalis, & immediata, vel eſt cauſa determinationis, ita quod illa agentia non determinentur ex ſe, ſed ex natura, velut ſunt actus nõ prouenientes à voluntate, & ſic argumentum aduerſus nos non pugnat.

Dico tertio, Deus ratione ſuæ determinationis ineuitabiliter & de neceſſitate agit prout ſecum ipſe conſtituit & decreuit, quia immutabilia ſunt Dei decreta, *Ego Deus & non*

non mutor legitur in ſacra pagina.

Obiicitur; ſi Deus ſic de neceſſitate ageret, mundum non initiaſſet.

Reſpondeo negando illatum, nam Deus ineuitabiliter, & de neceſſitate mundum initiauit, quia illius creationem pro tali inſtanti ab æterno decreuit, vnde ſequitur oppoſitum, & non propoſitum, quoniam ex quo ſic deſtinauit, non potuit ab æterno orbem producere, Idcircò licet ſuppoſita determinatione neceſſarium fuerit mundum pro tali inſtanti exordiri, nõ tamen quocunque tempore, definiuit enim ab æterno illum procreare, non tamen pro æterno, ſed de nouo, & pro nouo. Non igitur Deus de neceſſitate abſolutè egit, agit, & aget, ſed pro tempore in quo determinauit ab æterno agere.

Dices, ſi Deus de neceſſitate produxit mundum pro inſtanti A. quoniam in eodem inſtanti decreuit ab æterno. Ergo falſum erit commune axioma Theologorum, proceſſionem vniuerſi quæ eſt ad extra, contingentem eſſe.

Reſpondeo commune hoc Theologorum placitum vèrum eſſe non ſumpta ſimul determinatione, aliàs ſecus. quare ipſa vniuerſi proceſſio dicetur contingens, quia abſolutè non procedit à natura, vt diſtinguitur à vo-

luntate: dicetur autem neceſſaria non ſimpliciter,ſed ex ſuppoſitione diuinæ determinationis.

Inſtabis:illa determinatio voluntatis diuinæ vel eſt ſimpliciter neceſſaria, vel non. *Si* eſt ſimpliciter neceſſaria, cùm ad illam determinationem de neceſſitate ſequatur vniuerſi productio per conceſſa, ergo abſolutè vniuerſi productio eſt neceſſaria, nam in cõditionali bona ſi antecedens eſt ſimpliciter neceſſarium,& conſequens etiam,& ſic vniuerſi productio eſt ſimpliciter neceſſaria, quod eſt contra reſponſionem. Si verò aſſeratur contingens in Deo eſſe determinatio, poteſt non eſſe in Deo: ſed quod de facto eſt in aliquo,& poteſt non eſſe,abſque ſui variatione immutationeque fieri nequit, igitur Deus variabitur quod eſt perridiculum.

Reſpondeo,poſtquam à Deo facta eſt determinatio, non poſſe illã amplius non eſſe, verùm priuſquam eſſet, poterat non eſſe, & fieri altera determinatio, quare non ſequitur Deum mutari,ſeu variari, mutatio namque & variatio fieri dicitur, quando modo habet vnam,& modo nõ habet. Vna autem determinatio apud Deum habita ſemper remanet.

At iſtud videtur ex toto falſum, nam in

æternitate nihil prius,nihil poſterius,cùm ſit tota ſimul iuxta definitionẽ à Boëtio traditam.noſtra autẽ reſponſio aſſerit ante hanc determinationẽ potuiſſe Deũ habere aliam.

Amplius. Si Deus prius potuit determinare quam determinauit, ergo prius erat in Deo indeterminatio: ſed hæc imperfectionem arguit, Ergo Deus foret obnoxius imperfectioni.

Ad hæc ex allata reſponſione, licet Deus habita vna determinatione non poſſit eam relinquere, prius tamen quàm illam haberet, poteſt habere illam, & oppoſitam, hoc autem ſine variatione intelligi non poteſt. Si enim poſſum ſedere & non ſedere, videtur in mea natura non eſſe determinatio,& per conſequens adeſſe varietas. Confirmatur. Si Deus potuit aliud determinare quàm determinauit, aut erat prius determinatus quàm vellet determinationẽ,aut non. Si erat determinatus vtpote ad A, nõ potuit ſe determinare ad oppoſitum, niſi mutaſſet priorẽ determinationẽ,quod eſt impoſſibile: ſi vero priùs erat indeterminatꝰ, & poſtea ſe determinauit,igitur ex indeterminato factus eſt determinatus,quod etiã eſt impoſſibile.

Iſta omnia hanc à me reſponſionem accipient: ex quo determinatio à voluntate di-

uina procedere,& cauſa in ſenſu idẽtico intellecta præcedit cauſatum, nihil refert pro illo priori naturæ intelligere Deum vti habentem voluntatem indeterminatam. Verum quia ex parte rei voluntas nunquam poteſt eſſe indeterminata, & ipſe accipit à nemine hanc determinationẽ,ſed à ſe,quod de nullo agente creato dici poteſt,quoniam tota eſſentia rei in eſſe & in operari dependet à creatore, ideo hoc nullam arguit imperfectionem in Deo, ſic enim dicimus ſine diuinæ Maieſtatis læſione actionem intellectus diuini præcedere actionem voluntatis.

Et patet etiam in phyſicis. homo namque pro aliquo priori intelligitur vt animal, & non vt rationale. ſecundum rem tamen non poteſt eſſe animal, & non rationale: ita & Deus,poteſt concipi à nobis,vt in aliquo indeterminatus.

Mihi hæc ſcribenti occurrit dubitatio, An Deus poſſit facere aliqua quæ tamen non faciet:Et licet communiter DD.affirmatiuè reſpondeant,videtur tamen quod non: quia ſi Deus nihil facit quod tamen non determinet facere, nihil etiam poteſt facere, niſi poſſit & illud determinatè facere: alioquin enim à Deo fieret, de quo ipſe Deus non

haberet

haberet determinationem, quandoquidem poteſt fieri aliquid ex conceſſis abſque determinatione: ſi igitur poteſt Deus habere determinationem, quam non habet Deus, non eſt actus puriſſimus, quoniam non habet quicquid poteſt habere.

Quod autem illam non habeat, patet, quia ex hypotheſi hoc nunquam fiet, igitur Deus non determinauit hoc fieri. ex oppoſito enim ſequitur oppoſitum, ſi namque determinaſſet, fieret: non igitur Deus habet illam determinationem. Quare Ariſt. haſce fortaſſe ſecum reputans difficultates, abſolutè dixit, in Deo non differre eſſe & & poſſe, neque quoad eſſentiam, neque quoad facultatem agendi, quod facit poteſt, & quod poteſt facit, aliter in Deum caderet imperfectio, quemadmodum deductũ eſt.

Dicit Pomponatius: poteſt Deus aliquid facere quod tamen non faciet non ſumpta ſimul determinatione, non enim diuinæ potentiæ repugnat alios efficere mundos, id cõmuni vocabulo dicitur de potẽtia abſoluta, ſed ſumpta ſimul determinatione nequaquam, quod dici ſolet de potentia ordinaria quæ eſt vera, & realis potẽtia; abſoluta vero potius eſt quædam non repugnantia.

Non verecundatus eſt tantus philoſo-

phus Scholaſticorum diſtinctiunculá amplecti, quare nec ego, qui tantum operæ in Philoſophiæ partibus non conſumpſi, reiicere eam deberem, maximè verò cùm Pomponatij partes me ſequi plerique *exiſtiment*, verumtamen amicus Pomponatius, magis autẽ amica veritas, quare falſiſsimam dico diſtinctionem illam de poteſtate Dei ordinaria & abſoluta. Probo ab ipſius fundamenti deiectione. Scholaſtici enim cùm animaduerterent Dei potentiam infinitam eſſe, eius tamen opera finita, quando ipſum quoque cœlum finitum eſt, duplicem ei potentiam attribuerunt. Alteram quam vocant ordinariam: alteram quam nominant abſolutam. vna tamen in ipſo eſt: Ordinaria namque eſt abſolutæ pars, & omninò quicquam in Deo ponere quod non ſit abſolutum, & quod non ſit ipſe Deus, impium eſt: neque ordine diſponitur, aut diſtinguitur eius potentia, ſed ipſe ordinis autor eſt, cuius ordinis neceſſitas omnis ab eo pendet, ipſe rebus ordinem præfixit per ſapientiam & bonitatem, neque enim bonum erat Cœlos alio motu ferri: potuit quidem, poteſt, & poterit creare mundos alios, ſed non fuit optimum. At ſummum bonum ſemper quod optimum eſt vult, quod per ſapien-

tiam cognoſcit. non igitur agit per finitam poteſtatem, non enim ſequitur, Actio finita, ergo & poteſtas: propterea quod æternę eſſentiæ & potentiæ continuatio ſupereſt ipſi iam factæ operæ, partes tamen habet intelligibiles, quæ per intellectum adæquantur finitis actionibus, ſed aliæ ſuccedunt in infinitum. Hoc adſcripſi, quia nonnulli ſemiphiloſophi noui dixerunt ſupra cœlum vltimum eſſe creatum infinitum, quaſi à Deo infinito non poſſit procedere actio finita,

EXERCITATIO L.

Reſpondet obiectis.

EX dictis facillimè diſſoluuntur argumenta pro Stoicis adducta.

Ad primum. Si Deus agit contingenter, ergo indeterminatè, & per conſequens imperfectè. Reſpõdeo negando conſecutioné: Deus enim non agit contingenter, ita vt pro eodem tempore poſſit agere, & non agere, ſed tantummodo ſecundùm diuerſa tempora. Verùm ſecundùm illa tempora, in quibus aget & non aget, ineuitabiliter aget, quare determinatiſsimè, vt ita dicam, veluti Sol faciet diem & noctem in diuerſis temporibus, ineuitabiliter tamen ſuppoſito hoc ordine vniuerſi: ita & Deus, cum tali

enim contingentia ſtat ineuitabilitas, vt manifeſtum eſt.

Vel explico ſic. Deus contingenter agit, id eſt, non repugnat ipſum non agere, neceſſario tamen agit ex hypotheſi quod decreuit agere.

Ad ſecundum, in quo quærebatur, an Deus omnium rerum præſentium & futurarum habuerit ab æterno determinationem. Dico habuiſſe, nec aliter erunt, nec eſſe poterunt, quàm ipſe ab æterno decreuit. Illationem, ergo omnia ineuitabiliter, & ex neceſsitate erunt, concedo omnia futura neceſſaria, prout ſunt à Deo determinata, quia ſubſtantia rei eiuſque accidentia ſunt per omnia iuxta diuinam determinationem, ſed quia Deus ab æterno definiuit, vt aliqua ineuitabiliter, & ex neceſsitate, aliqua contingenter, & ineuitabiliter eueniant, ideo aliqua ineuitabiliter, & neceſſariò, aliqua contingenter & libere euenient.

Dices, ab æterno Deus determinauit Caium futurum in anno proximo: ſupponamus quod ita eueniat.

Reſpondeo hanc propoſitionem eſſe de futuro: quare Deus de Caio futuro in anno ſequenti non determinauit, niſi contingenter futurum in tali tempore, non autem ab-

ſolutè

ſolutè futurum, quare ſi erit in tali anno contingenter erit.

Inſtabis. Eſt igitur Deus incertus an Caius ſit futurus anno ſequenti proximo.

Reſpondeo hunc in modum; ſi incertitudo dicat puram negationem, concedo, quia non eſt neque poteſt eſſe certus ſtante contingentia: ſi verò dicat poſitiuum, vt puta, dubitationẽ, nego. In Deũ enim nõ cadit dubitatio, ſcitque de Caio futuro totum quod ſciri poteſt, cùm ſciat illum contingenter futurum, & quod cognoſcitur, vt poſſibile eſt ipſum cognoſci, nullam parit dubitationem in cognoſcente. quare non dubitamus de neceſſariis, neque de impoſſibilibus, ſi ſciamus illa eſſe neceſſaria, aut impoſſibilia; ita Deus non dubitat de Caio futuro, cùm de ipſo quâ futuro ſciat ſolũmodo quod poteſt eſſe, cùm hoc tantum exigat natura futuri.

Dices: Deo igitur futura non ſunt certa.

Reſpondeo, quę futura ſunt eſſe incerta, & quæ certa, non futura, quod ſi Deo futura dicantur certa eſſe, intelligitur quatenus ipſi omnia tempora in ſua æternitate complectenti præſentia ſunt, & extra ſuas cauſas, quare ſunt certa nõ vt futura, ſed vt pręſẽtia.

Ad tertium, in quo dicebatur, ſi Deus contingenter agit, aut eſt determinatus vel non.

Reſpondeo, Deum abſolutè agere contingenter, quia non repugnat ipſum agere & non agere: agere verò ex neceſſitate ſuppoſita ſua determinatione, quare ſuppoſito quod ſit determinatus ad vnum, non poteſt alterum efficere. Hæc autem determinatio dicitur adhuc contingens, non quia poſsit, vel potuit non eſſe, nam æterna fuit, æterna eſt, & æterna erit. quare neque potuit, neque poteſt, neque poterit non eſſe: ſed quia non repugnat, oppoſitam determinationẽ eſſe; quare ſi determinaſſet mundum non fore, nullum fuiſſet inconueniens. Nam ita Deus eſt Sapiens & bonus poſtquam vniuerſum creauit, prout ante creationem.

De Ariſtotele quid ſentiam, breuiter expono, ipſum ſibi in hac re ipſimet contradicere, nam ponit Deum de neceſsitate agentem, & tamẽ in lib. Ethic. & alibi facit homines liberos. Hæc autem inter ſe repugnantia omninò ſunt, &, vt ita dicam, incompoſsibilia, nam cauſa exiſtẽte neceſſaria, haud contingentes, ſed neceſſarij ſunt effectus, quare ſi Deus de neceſsitate agit, voluntas noſtra nõ eſt libera. quod ita probo. Quæro ab Ariſtot. vtrum voluntas noſtra poſsit in vtramque partem diuiſiuè tamen ſine aliquo determinante, vel non. Si non poteſt, ergo non

eſt

eſt libera contra ipſum Ariſtot. ſi poteſt, & multo magis Deus poteſt, ergo Deus de nouo agere motum poteſt, vel mũdum abſque motu præcedente: ſed nulla alia cauſa mouit Ariſtot. ad aſſerendum Deum de neceſsitate agere, niſi quoniam de nouo non poteſt incipere mouere, niſi motus præcederet. Cùm itaque falſum ſit hoc principium admiſſa libertate voluntatis, Ergo ſi voluntas eſt libera, Deus non de neceſsitate agit, igitur rectè infertur, Deus neceſſariò agit, ergo voluntas non eſt libera. patet igitur ſibimetipſi contradixiſſe Ariſtot. dum affirmat Deum agere ex neceſsitate, & tamen agnoſcit in homine liberam voluntatem.

Nunc quoniam, eam, quam aduerſus Stoicos de Fato quæſtionem agitare propoſueramus, propter grauiores, quibus præpediti ſumus occupationes omittere coacti, quamuis inuiti & illubentes, illam in ſecunda Amphitheatri parte fusè & prolixè ſpondemus nos pertractaturos.

Exigua hæc quæ pinguiori Minerua & leuidenſo ſtylo in rerum quibuſdam aſperitatibus & temporis anguſtiis, ex multis variiſq; moleſtiis & difficultatibus vt animum recrearemus, conſcripſimus, benignus Lector

ctor ita accipiat oro atq; obteſtor, vt ſi quod rationi minus cõueniens aduerterit, emendet, deleat etiam & obliteret, ſi ad ipſum hæc pertinuerit cẽſura, Si qua enim fortaſſe ſint (quod tamen vix crediderimus) quæ *Eccleſiæ* Romanæ inſtitutis, decretis, aut dogmatibus refragari vel in re leuiſſima videantur, nulla omninò & tanquam non dicta vel ſcripta eſſe velimus. Atque adeo nos Sanctiſſimi beatiſſimiq; Patris noſtri Domini PAVLI, qui QVINTVS eius nominis Põtifex modo ad Eccleſiæ gubernacula Sapiẽtiſſimus ſedet moderator, atque in cuius imagine cæteros omnes omnium ſæculorũ omnibus virtutibus circumfuſos Pontifices videmus, eius nos autoritati poteſtatique libellum hunc obnoxium volumus & ſubjectum.

Sicque etiam ſummum illum rerum omnium effectorem, conſeruatorem, & gubernatorem Deum in nouiſsimo libri huius margine, cum gratiarum actione putauimus exorandum.

Dei ſupremo percita flamine
Mentem voluntas extimulat meam:
Hinc per negatum tentat alta
Dædaliis iter ire ceris,
Audetque cœli non memorabile
Metare Numen, principio carens.

Et

Et ſine, diffinire Muſa
Exigua breuiore gyro.
Origo rerum, & terminus omnium,
Origo, fons, & principium ſui
Suique finis terminuſque
Principio ſine terminoque
Vbique Totus, tempore in omnibus
Omni quieſcens ipſe Deus locis
Partes in omnes diſtributus
Integer vſque manens vbique.
Nec comprehenſum vllis regionibus,
Vlliſve clauſum limitibus loca.
Tenent, ſed omnis liber omne
Diditus in ſpatium vagatur.
Illius alta eſt velle potentia,
Opus voluntas inuariabilis,
Et magnus abſque eſt quantitate,
Atque bonus ſine qualitate
Quod dicit vno tempore perficit,
Mirere fiat vox vel opus prius:
Cum dixit, en cum voce cuncta
Vniuerſa ſimul creata.
Cuncta intuetur, perſpicit omnia,
Atque in ſua vnus, ſolus eſt omnia,
Quæ ſunt, fuerunt, & futura,
Præuidet ipſe perennitate.
Atque ipſe plenus, cuncta replet, ſui,
Et ſemper idem: ſuſtinet omnia.
Et fert, mouetque, amplectiturque
Atque ſupercilio gubernat
Te te oro; tandem reſpice me bonus,
Tibique nodo iunge adamantino
Id namque ſolum vnumque & omne

Reddere

Reddere quod potis eſt beatos
Quicunque iunxit te ſibi,& altius.
Vni adhæreſcit,continet omnia,
Teque omnibus circumfluentem
Diuitiis,nihilique egentem.
Tu cum neceſſe eſt,nullibi deficis
Vltroque præbes omnibus omnia.
Ipſumque te,qui ſis futurus
Omnibus omnia,ſubminiſtras
Laborioſis tu vigor inclitus,
Tu portus alto naufragantibus
Tu fons perennis perſtrepentes
Qui latices ſalientis ardent.
Tu ſumma noſtris pectoribus quies,
Tranquillitaſque & pax placidiſſima,
Tu menſus es rerum moduſque,
Tu ſpecies & amata forma.
Tu meta,pondus,tu numerus,decor,
Tuque ordo,tu par atque honor,atque amor
Cunctis,ſaluſque & vita,& aucta
Nectare & Ambroſia voluptas.
Tu verus altæ fons ſapientiæ,
Tu vera lux,tu lex venerabilis,
Tu certa ſpes,tuque æuiterna
Et ratio , & via,veritaſque.
Decus, iubarque, & lumen amabile,
Et lumen almum atque inuiolabile
Tu ſumma ſummarum,quid vltra?
Maximus, optimus,vnus, idem.

INDEX EXERCITATIONVM.

EXERCITATIO prima, probat Deũ eſſe, non ex motu, vt inſcitiſſimè exiſtimauit Auerroes, ſed per primas entis partitiones non modo ex ſupremæ Philoſophiæ, ſed etiam Caballiſticæ ſcientiæ abditiſsimis arcanis. fol. 1

EXERCITATIO II. Deus quid ſit quærit, varias antiquorum Philoſophorum ſententias adducit, refutatque, & demum pro humano captu quid Deus ſit explicat. 8

III. Dei prouidentiam deſcribit non ex Aquinatis & Viuis opinione, quam refellit, ſed ex acutiſsima primæ Philoſophiæ ſcientia. 11

IV. Dei probat prouidentiam à Creatione mundi, & contraria Philoſophorum placita refellit, & quomodo Deus in creatione mundi in tempore mutatus non ſit, ex Ariſtotelis principiis probat, & Scholaſticorum diſtinctiunculam de eſſentia & exiſtentia tanquam à veritate alienam repudiat. 12

V. Dei prouidentiam confirmat ex motu cælo-

rum, quem naturalem non eſſe, imò ad inferiora ordinatum clariſsima mathematica demonſtratione probat aduerſus Cardanum. Complures Auerroiſtarum & Scholaſticorum errores reiiciens de materia prima, & de materia Cæli. 21

VI. *Idem probat ex oraculorum reſponſis, & Machiauelli, Pomponatij, & Cardani reſpondet obiectis.* 35

VII. *Confirmat ex Sybillinis reſponſis, Plutarchi & Cardani Inſcitiam redarguens ex Phyſicis & Aſtronomicis regulis.* 42

VIII. *Dei prouidentiam confirmat ex vetuſtæ & nouæ legis miraculis, & Macchiauello, Pomponatio & Cardano, ex reconditis Philoſophiæ arcanis reſpondet.* 50

IX. *Diagoræ Athei ſententiam explicat & rationem.* 78

X. *Illi reſpondet ex mente Stoicorum, ſed inſcitiſsimè tamen ratiocinari demonſtrat in reſponſione ad Boetianas ratiunculas.* 80

XI. *Diagoræ argumento reſpondet Author non minus ſubtili quam noua doctrina.* 85

XII. *Protagoræ rationes adducit quod Deus ſit autor peccati.* 90

XIII. *Aduerſus eundem probat Deum non eſſe peccati autorem.* 93

XIV. *Difficillimum reſoluit argumentum, ſi Deus cognoſcit peccata, ergo efficit, quippe Dei*

ſcientia Cauſat res, quod an verum ſit diſputat. 95

XV. Secundo Protagorco argumento reſpondet, probat aduerſus Scholaſticos poſſe in nobis Deū ſeruare liberum arbitrium, peccandi facultatem etſi auferat. 101

XVI. Reſpondet tertio aduerſariorum argumento, diſtinctionem de voluntate Dei efficaciæ, & complacentiæ efficaciſsimis rationibus admittendam non putat. an autem Deus omnibus det ſufficiens ad ſalutem auxilium, ex verbo Dei & inde petitis rationibus diſputat. 103

XVII. Reſpondet quarto argumento, & Scolaſticorum inſcitiam redarguit in ea quæſtione, an Deus poſsit facere melius quod fecit, quàm quomodo fecit. 510

XVIII. Reſpondet quintæ obiectioni, & moderni cuiuſdam Athæi petulantiam retundit. 113

XIX. Vltimum reſoluit argumentum, probat Dei miſericordiam non neceſſariò ſupponere peccata, & Concionatorum quorundam imperitiam redarguit. 116

XX. Ciceronis ſententiam explicat, liberum arbitrium cum Dei prouidentia non conuenire probans tribus ſubtiliſsimis rationibus. 122

XXI. Aduerſus Ciceronem probat Dei prouidentiam arguendo ad hominem, & manifeſta de-

monſtratione. 124

XXII. Reſpondet ad Ciceronianas probationes, adducit Boëtij & Diui Thomæ reſolutiones, quas falſas eſſe arguit ex Ariſtotelico contextu. 126

XXIII. Autoris ſententiam adducit ſubtiliſsimam pro diuinæ præſcientiæ & liberi noſtri arbitrij concordia. 137

XXIV. Reſpondet Ciceronianis obiectionibus, & Chryſipeum illud ſcholaſticorum argumentum nihil concludere oſtendit. 140

XXV. Aduerſus Autoris Sententiam tres adducit pro Scholaſticis obiectiones, & acutiſsimè reſpondet. 144

XXVI. Epicureorum adducit Sentẽtiam & rationes quibus Dei prouidentiam, & animæ immortalitatem euertere conantur. 149

XXVII. Epicuream Sententiam confutat non Tullianis declamationibus, ſed certis demonſtrationibus ex Epicureorum fundamentis, & ex phyſicis principiis, nec non animæ immortalitatem ſubtiliſsimè probat ex diuini viri principiis. Et Alexandri Aphrodiſei contumaciam redarguit. 152

XXVIII. Epicureorum diſſoluit argumenta, & ſubtiliſsimè diſputat, an omnia orta occidãt neceſſariò: & viros ſapientes nequam non eſſe aduerſus Cardanum acutiſsimè comprobat. 166

XXIX.

XXIX. *Subtiliſsima de voluptate & beatitudine.* 181

XXX. *Diuinum Ariſtotelem à Chalcidici calumnia vindicat, probans illum optimè de Dei Prouidentia ſenſiſſe.* 197

XXXI. *Varias Scholaſticorum interpretationes adducit ad cap. 9. 12. primæ Philoſophiæ, ſed illis neglectis vt parum ad rem facientibus ex mente Autoris reſpondet.* 202

XXXII. *Diſputat ex mente Ariſtotelis, An Deus poſsit agere in his inferioribus ſine medio inſtrumento cæleſtis corporis.* 206

XXXIII. *De Intelligentiarum eſſentia, forma, & miniſterio non ex Scholaſticorum deliriis, ſed ex ſupremæ Philoſophiæ principiis diſputat accuratiſsimè.* 211

XXXIV. *Auerroiſtarũ opinionem, quod Deus in vniuerſali ſaltem hæc inferiora cognoſcat adducit cum ſuis rationibus.* 33

XXXV. *Probat Philoſophicis demonſtrationibus Deum cognoſcere ſingularia.* 238

XXXVI. *Auerroiſtarum reſpondet obiectionibus, & non modo Auerrois, ſed & Cardani craſſam patefacit ignorantiam.* 243

XXXVII. *Auerrois recitat opinionem & rationes, cur monſtra ſub Dei Prouidentiam non cadunt.* 260

XXXVIII. *Ariſtotelis ſententiam de mon-*

ſtrorum efficientia adducit & confutat. 261
XXXIX. *Cardani de Monſtris ſententiam refellit.* 265
XL. *Autoris ſententiam de monſtris ex Phyſicis & Aſtronomicis principiis deducit.* 275
XLI. *Auerroiſtarum reſpondet argumentis, vbi ſingularia quædam de monſtruoſis hominibus narrat, & Aſtronomicam reddit rationem pulcherrimam, & de monſtrorum fine peracutè diſceptat.* 281
XLII. *Apud Peripateticos quid ſit neceſsitas, fatum, natura, fortuna, caſus, & fors accuratè explicat.* 284
XLIII. *Stoicorum adducit opinionē quod Deus ſit peccati autor.* 280
XLIIII. *Stoicorum primæ rationi reſpondet, aſſerens aduerſus omnes Scholaſticos noſtram voluntatem reſpectu Dei non ſe habere veluti inſtrumentum.* 291
XLV. *Reſpondet argumento ſecundo probans ex ipſo Ptolomæo aſtra inclinare tantum, non cogere noſtras voluntates. In contrarium tamen ſubtiliſsimas rationes adducit quibus ex Aſtrologorum arcanis reſpondet.* 295
XLVI. *Reſpondet vltimæ Stoicorum rationi perabſurdum eſſe probās Scholaſticorum Placitum neceſſarium eſſe vt homo peccet indeterminatè, contingenter tamen & liberè quemlibet*

bet peccare. 304

XLVII. *Inauditam Scholaſticis & ſubtiliſsiſimam proponit ac diſſoluit difficultatem.* 312

XLVIII. *Alterum Stoicorum refert errorem quod Deus agat ex neceſsitate, & non liberè, & animi gratia pro Stoicis ſubtiliſsimè argumentatur.* 315

XLIX. *Autoris ſententiam adducit.* 318

L. *Stoicorum reſpondet rationibus & Ariſtotelis Contradictionem notat.* 326

Errata.

Pag.9.lin.5 que,leg quæ.pag.44.lin.5.vitginitate, leg. virginitate. pag. 45. lin. 2. beneficiis.leg. beneficis.pag.46.lin.3. veeneris, leg.veneris. pag.50.lin.6.pugnaria , leg. pugnantia. pag.64.lin.11.optimæque,leg.optimèque.pag. 117.lin. 3. ſordimus,leg.ſordibus.pag 119 lin.7.Peripatecis, leg.peripateticis.pag.126.in tit. Exerc. Ciceronias , leg. Ciceronianas pag. 148.lin.4. inderminatum,leg.indeterminatum.pag.161 lin.5. ttiſtitiam,leg.triſtitiam,lin.5.contriſtarunt , leg.contriſtatur. pag.173.lin.20. nquam,leg inquam. pag 177. in princ. humidem.leg humido.pag.182.lin.14.habitu,leg.habitus pag.183. lin.16.quæ ſpecies eſt efficiens cauſa, leg quæ ſpecies eſt efficiens cauſa ſenſionis,ſicut impreſſio eſt efficiens cauſa impreſſæ imaginis in cerâ. p 187.l.25.ſubtiliſſima,leg ſubtiliſſimam. p.190.l.pen.beneficienti,leg.benefaciēti.p.208.l.13.liber, leg. liber.p.211.l.20.duco,leg.duo p 228.lin.vlt.neque,leg. negat. pag.232.lin.5.peripatecicos,leg Peripateticos.pag.233.lin.17. Deum,leg.Deo.pag.236.lin.17.annis,leg annos.pag.245.lin.1. habet,leg.habes.pag.272.lin.5.virum,leg.virium.pag.280.lin. 24.maleuola,leg.maleuolæ.pag.287.lin.29.at,leg.vt.pag.288. lin.19.aqui.leg.atqui.pag 296.lin.2. deriuarari , leg. deriuari, lin.20,reliſtum,leg.relictū.lin.24.vitelllio, leg.vitello.pa.213. lin.12.Ssolaſtici,leg.Scolaſtici. pag. 310. lin. 1. demonſtretur eo(dele)pag.326.lin.1.procedere,leg.procedit.

BIBLIOTH. ACADEM. LAUSAN
DEBETE ET PATRIAE

BIBLIOTHECA LAVSANNENSIS